


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

JAN 5

Pamphlets

Quaestiones Euhemereae.

P. J. M. VAN GILS.


THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
·LIBRARIES·
THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
ARTES SCIENTIA VERITAS
1817

QUAESTIONES EUHEMEREAE.

QUAESTIONES EUHEMEREAE.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

I. M. J. VALETON

LIT. HUM. DOCT. ET IN FAC. LIT. PROF.

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE

ET

LITERARUM HUMANIORUM DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI SUBMITTET

PETRUS JOSEPHUS MARIA VAN GILS

DIOECESIS RURAEMUNDENSIS PRESBYTER,

NATUS IN PAGO WAALWIJK,

DIE XXII MENSIS SEPTEMBRIS MDCCCCII HORA III ET DIMIDIA

IN AULA ACADEMICA.

KERKRADE—HEERLEN,

Apud N. ALBERTS.

BL
781
.G54
1902
BUHR

1-5-98

IN PIAM PARENTUM MEMORIAM.

189668

Ad metam studiorum academicorum perventurus grata memoria recolo clarissimos in facultate literaria viros, quorum lectionibus per tot annos interfui, Pierson et Bellaar Spruyt, eheu praematura nobis morte ereptos, Naber et van den Es, jam rude donatos sed juvenili animo juniorum studiis faventes, Karsten, Valeton, Six, Uhlenbeck.

Tu cl. Kuiper, promotor aestumatissime, mihi ante omnes pro tua in me collata benevolentia, colendus eris.

Restat ut gratias agam Tibi, cl. de Groot, quo paterno usus sum amico.

Vobis omnibus concedat D. O. M. ut diu hisce studiis ac academicae juventuti prodesse possitis.

E Seminario Rodensi mense Sept. 1902.

INDEX.

PRAEFATIO.

De Euhemeri Sacra Historia deque ejus methodo consilioque in scribendo hoc opere acturus, non abs re esse arbitror pauca de mythorum explicatione in universum praefari.

Omnium Graecorum ingenia, inde a teneris annis, delectabantur carminum Homeri Hesiodique suavitate et magnorum horum poetarum imbuta erant veneratione; ab altera parte posterior aetas fabulas a poetis narratas eo modo, quo majores fecerant, accipere non amplius sinebat.

Excogitarunt itaque methodos, quibus omnia retineri facileque explicari possent; ad literam eas accipiendas esse negant.

Alii historica ratione mythos explicabant; unde nata est historica sive pragmatica explicandorum mythorum methodus.

Alii iis subesse affirmabant philosophicum et absconditum sensum, *ὑπόνοιαν*[1]) sive *νοῦν;* haec via ducit ad allegoriam.

---

1) Quae antea fuit appellata *ὑπόνοια* vel *νοῦς*, postea dicta est *ἀλληγορία*; Cicero vocem per «significationem» vertit (Nat. Deor. I. 15.)

Heraclitus Alleg. Hom. c. 5. hoc modo allegoriam definit: *ὁ γὰρ ἄλλα μὲν ἀγορεύων τρόπος, ἕτερα δὲ ὧν λέγει σημαίνων, ἐπωνύμως ἀλληγορία καλεῖται.*

Verba sunt *ἐμφαίνειν, αἰνίττεσθαι, ἐξηγεῖσθαι.*

Quae Homerus de Minerva habet referunt ad sapientiam et prudentiam, quae de Venere ad voluptates, quae de Jove ad mentem.

Haec nondum est allegoria proprie dicta; longius enim ista procedit.

Allegorica interpretatio in duo genera apte dividitur, quae tamen mixta saepe inveniuntur, in psychologicum et physicum.

Psychologica est, quae in figuris mythorum ficta persona indutis, animi dotes et affectus videbat; ut bellicam virtutem, quae apud Graecos arcte cohaerere solet cum sapientiae amore, Minerva et praesertim Hercule fingendis expresserunt. Amor omnia amice componit, Juppiter iis mens est.

Physica est, quando dii ad naturam physicam referuntur; Juppiter est caelum, Juno aer etc. Sic posteriores Homeri Διὸς ἀπάτης narrationem ad rerum naturam, verno tempore reviviscentem, traxerunt.

Post Socratis tempora — nam huc usque nondum vulgaris erat — novas vires acquisivit allegorica mythorum explicatio.

Duae philosophorum sectae eam vehementer amplexae sunt: Platonici et Stoici.

Cohaeret res cum Homeri veneratione: viguit haec quidem per totam antiquitatem, sed inde ab Alexandri temporibus — quum homines docti magis essent quam poetae — novas vires acquisivit.

Homerus ipsis theologus, philosophus, quin etiam physicus est; suas sententias in Homeri ore ponunt. Alexandrinam Scholam inter et Pergamenam in Homero vere interpretando certamen fuit.

Inter ea, quae Stoicos ad hanc interpretandi methodum duxerant, habetur etiam acre verborum studium, miser in enodandis nominibus labor. Exempla nobis quaedam servata sunt: «Saturnus, quia se saturat annis; Mavors, quia magna vertit; Minerva,

quia minuit aut quia minatur; Venus, quia venit ad omnia; Ceres a gerendo.»[1]) Haec sufficiant.

Non minus in honore fuit allegoria apud Platonicos, cujus probabilis causa habetur in magistri poetico sermone.

Exempla pullulant apud Plotinum, Porphyrium, Proclum aliosque.

Totam rem paucis verbis comprehendit Rohde: (Der Griechische Roman und seine Vorläufer 1876 p. 14.)

«Nun bekundet sich der Tod jener mythischen Empfindung gleichermaassen in der zornigen Verachtung der Philosophen, in den frommen Versuchen eines Pindar, die Mythen einer reineren, aber ihnen innerlich fremden Moral, anzunähern, in den selbständigen Erfindungen monströser, symbolisch gemeinter Mythen von Seiten der frommen Mystiker jener Zeiten, endlich in der begriffsmässig *allegorischen* Ausdeutung der Mythen, welche, als eine Rechtfertigung der Dichter gegenüber den Angriffen der Philosophen zuerst in Anwendung gebracht, von Anaxagoras bis zu den letzten Mitgliedern der Stoischen Schule, ja bis zu den frommen Neuplatonikern gar manchem

---

1) Cicero De Nat. Deor. III 24. Cfr. Mehler de Plutarchi q. v. f. Vita Homeri p. 46 sqq. Sic *Ἥρα* est *ἀήρ* (VH. c. 96. 102); *ἀὴρ μέσος γῆς καὶ αἰθέρος* (Porphyr. ad O. 18, Schol. A ad Od. 18.) etc. Jam in Cratylo p. 404 C. «Si aliquoties iteras vocem *Ἡραηραηρα* . . . . . audis *ἀήρ*»; hic igitur physica et etymologica mixtae sunt.

Cfr. N.D. II 24. 25. 26. Heracl. All. Hom. 33 sqq. 28; 59; 67; 17—20; 61—63. Cornutus 20.

Ueberweg-Heinze [8] Gesch d. Gr. Phil. p. 267: «An die Volksreligion schlossen sich die Stoiker an indem sie die Mythologie äusserlich beibehielten; sie deuteten dieselbe aber in allegorischer Weise auf Vorgänge und auf Ereignisse *in der Natur* und auf moralische Ideen.»

Denker als ein Surrogat für das wirkliche Verständniss des alten Glaubens gedient hat.»

Postquam diximus de interpretatione allegorica tam psychologica quam physica venimus ad interpretationem, quae plus facit ad nos, historicam dico.

Mythorum Graecorum tractatio et explicatio, tractu temporis historicam magis induerunt indolem.

Cyclici poetae in causa sunt, qui uno orbe multas fabulas comprehenderunt: alii omnia, quae ad deorum ortus pugnasque contra Titanes faciebant, collegerunt, carminibusque Theogonias, Theomachiasque celebraverunt; alii Heroum Herculis, Thesei, Persei res gestas expeditionesque contra Amazones, vel eam, quam Argonautae ut aureum arcesserent vellus, susceperunt, vel in primis Trojanam illam narraverunt.

Nata est inde historica mythologiae interpretatio.

Nec solum poetae hanc amplexi sunt, sed etiam historici, uti Acusilaus et Hecataeus. Ita Dionysius Milesius res Persicis bellis gestas describens, incipit a mythica farragine et a bello Trojano, postea Diodorus Siculus, ejus vestigia premens, opus suum historicum a fabulosa aetate orditur.

De hac historica interpretatione habet quaedam praeclara Lobeckius, quem multi sequuntur.

Ejus verba haec sunt (in Aglaophamo p. 987 sqq.):

«Interpretationis historicae sive ut Tzetza [1]) vocat, pragmaticae initia posita sunt ab Historicis, Hecataeo, qui serpentem venenatum et pestiferum faucibus Taenariis procubantem confingendae de Orci cane Cerbero fabulae occasionem dedisse opinatus est, cf. Pausan. III. 25,. et Herodoro Heracleota, superbissimo antiquarum fabellarum interprete, qui Atrei arietem

---

1) Ad Hesiod. Opp. v. 1. p. 8 A p.26 A: ἡ καθ' ἱστορίαν ἀλληγορία ab Eustathio vocatur p. 426.

portentosum nihil aliud quam poculum aureum sigillatum fuisse contendit Athen. VI. 231 C. Atlantem vero astrologum Clem. Strom. L. I. p. 306 [1]). Promethei autem tormenta et liberatorem ejus Herculem, sic interpretatus est, ut Aeetum fluvium Promethei regis Scythici agros arrodentem ab Hercule derivatum esse diceret Schol Apoll II. 1251. Phavorinus. s. *Προμηθεύς*, quod et Diodoro placuit I. 19 et, quem is sequi videtur, Agroetae Libycorum scriptori Schol. Ap. l. c. qui etiam Hesperidum *μῆλα* non mala aurea sed oves eximii velleris fuisse pronuntiavit Schol. IV. 1396.

Consimili ratione Herodotus Ius casus a fabulis sejungere conatus est, approbanti fere Ephoro Schol. Apoll. II. 168. qui etiam, ut Tityum et Pythonem miraculis eximeret, conjecturam fecit, praedones fuisse ab Apolline coercitos Strab. IX. 422. alias fabulas, perinde incredibiles inexplicatas relinquens . . . Post Ephorum Philochorus Orithyiam a vento dejectam Fr. p. 26. Triptolemum non serpentibus sed navi vectum serpentis simili p. 25. Proserpinam ab Aidoneo Molossorum regulo raptam esse, denique Minotaurum ducem fuisse militarem, nomine Taurum, quem Minos castello Labyrinthi praefecisset p. 30. Tum Mnaseas Patrensis Stymphalides mulieres fuisse affirmarit, non aves Schol. Apoll. II. 1054. Eudoc. p. 214. Ganymeden non a Jove raptum sed a Tantalo Eustath. p. 1289 cujus sententiae fuit Phanocles poeta Euseb. Chron. I. 17 . . . . Pro equo Trojano Euphorio, ut Lydus refert, navem substituit Fragm. CXX. 167. Praetermitto alios, quorum tempora non satis adhuc cognita sunt, Myrsilum, qui Musas psaltrias

1) De Atlante idem suspicati sunt Xenagoras in Schol. Arist. Nubb. 397. Schol. Apoll. IV. 264. Diodor. III. 59. Cicero Tusc. V. 3. Plinius N. H. II. 6. 126.

Lesbias fuisse voluit, Theagenem, qui Aeginetarum majores non formicas sed specuum habitatores, Melissum, Staphylum, Phanodicum, qui Daedali alas in navigium transmutavit.

Hi autem omnes tantummodo paucarum fabularum minusque insignium rationem reddere conati impietatis crimen facile subterfugerunt; primusque *Euemerus* eo processit audaciae ut *universam mythologiam* hinc ortam diceret, quod homines quidem fortes et prudentes post mortem deorum nomen et honorem consequuti essent, neque heroes solum et semideos sed Jovem ipsum et totam eius progeniem humano generi et mortalibus adscriberet natalibus, eorumque mortes etiam et sepulturas demonstraret. Cujus sententiae improbitate *Graeci ita perculsi auctoremque tantopere execrati sunt,* ut pateat neminem ante eum tale quiddam ausum esse.»

Rohde eodem modo Euhemerismum definit: «Jene noch heute nach dem Euhemerus benannte pragmatische Zersetzung der Göttersagen in die Geschichte menschlicher Könige, Helden und Abenteurer, die zwar von Euhemerus nicht eigentlich zuerst gehandhabt, aber von ihm doch, nach vereinzelten Versuchen Früherer, *über die gesammte Breite der griechischen Mythologie* ausgedehnt worden ist.»[1])

Ratio quam in explicanda deorum natura Euhemerus secutus esse videatur ut universe a viris clarissimis indicata est, ita accuratius tamen oportet ostendere, qualis inter antiquos pragmaticae scholae sectatores atque Euhemerum fuerit discrimen.

Euhemeri methodus rerum explicandarum differt ab ea, quam praecedentes pragmatici adhibuerunt. Illi enim etiam de rebus mythicis nec divinis nec humanis, uti de Cerbero agunt, quum Euhemerus, quan-

1) Rohde Der Griechische Roman. p. 224.

tum scimus de diis tantum et de heroibus egerit.

Tum vero in eo quoque fallitur Lobeckius, quod Euhemerum docuisse putat «homines fortes et prudentes» tantum deorum nomen et honorem esse consecutos. Modo meminerit quis, quae de Venere scripserit, quae de Cadmo et Harmonia! Parum sane «fortes et prudentes» hi homines.

De Venere enim Historia Sacra haec habet: «Quae prima artem meretriciam instituit auctorque mulieribus in Cypro fuit, ut vulgato corpore quaestum facerent: quod idcirco imperavit ne sola praeter alias mulieres impudica et virorum appetens videretur.»[1])

Has res ab Euhemero narratas fuisse confirmant alii auctores ecclesiastici, Clemens Alexandrinus,[2]) Arnobius,[3]) Theodoretus.[4])

Cadmi autem facta haud magis hominis fortis sunt, si quidem vera sunt quae scribit Athenaeus:[5])

Εὐήμερος, ἔφη, ὁ Κῷος ἐν τῷ τρίτῳ τῆς ἱερᾶς ἀναγραφῆς τοῦθ' ἱστορεῖ, ὡς Σιδωνίων λεγόντων τοῦτο, ὅτι Κάδμος μάγειρος ὢν τοῦ βασιλέως καὶ παραλαβὼν τὴν Ἁρμονίαν, αὐλητρίδα, καὶ αὐτὴν οὖσαν τοῦ βασιλέως, ἔφυγε σὺν αὐτῇ.

Gravior superest causa, ob quam Lobeckii rationem, qui Euhemerum opus theologico–historicum scribere voluisse arbitratur, admittere non possumus. Nam sunt inter Euhemeri fragmenta nonnulla, quae in opus theologico—historicum parum quadrent, continent enim fabulosas res; neque puto suo systemate Lobeckium eas explicare posse.

Minutae res hic grave pondus habent.

Narrat Lactantius: «Sacra Historia etiam ante

1) Lactantius Div. Inst. I. 17.
2) Clem. Alex. Protrept. II. 13. 14.
3) Arnobius Adv. Nat. IV. c. 24 et c. 19.
4) Theodoretus Graec. affect. cur. disp. III. p. 767.
5) Athenaeus l. XIV. p. 658.

consedisse Jovi aquilam in capite atque ei regnum portendisse testatur.» [1])

Haec supra vires humanas sunt, et systemate historico—theologico prorsus indigna.

Crescit difficultas: «Euhemerus poeta dicit, crabronibus et sole genitas apes, quas nymphae Phryxonides educaverunt; mox Dictaeo specu Jovis extitisse nutrices, easque pabula munere dei sortitas, quibus ipsae parvum educaverant alumnum.» [2])

Fierine potest ut Euhemerus si theologico—historicas de diis opiniones proferre vellet, haec scripserit?

Narratiuncula de Cadmo et Harmonia allegoriam stoicam sapit; nomen illi Harmoniae impositum fuisse videtur, quia fuit *αὐλητρίς*.

Ut nomen explicaretur fabulae de Urano et de Aegipane [3]) inventae videntur. Festus loquens de quodam proverbio dicit: «Varro et Euhemerus ineptis mythis *involvere* maluerunt, quam simpliciter referre.»

Auctor, qualem finxerunt viri clarissimi, vix dici potest mythis *involvere* proverbium.

Verum quid dicendum ad ea, quae scribit Lobeckius «Graecos perculsos auctoremque execratos fuisse»?

In universum factum negandum est. Jure contra

---

1) Lactantius Div. Inst. I. C. 11.

Justinus XII. 16. haec habet de Alexandro: «Ea die, qua natus est, duae aquilae tota die perpetes supra culmen domus patris ejus sederunt, omen duplicis imperii Europae, Asiaeque praeferentes.»

2) Apud Columellam L. IX. c. 2. qui ea debet Euhemero.

3) Panos sive Hirci (Pana, uti notum est, pedibus et cornibus hirci munitum fingebant Graeci) uxor fuit *Αἴξ*, filius vocatur nominibus patris et matris conjunctis Aegipan; etymologia quoque latet sub voce Aegiocho, quod non ab *Αἰγίς* et *ἔχειν* sed ab *Αἴξ* et *ἔχειν* derivatum esse scribit Euhemerus. Haec est putida etymologia et a theologo—philosopho aliena.

Rohde p. 20: «desto näher lag die Gefahr einer empfindungslosen rein historischen Behandlung einer Zeit, welche die Plattheiten des Euhemerus *mit Beifall* aufnehmen konnte.» [1])

Sed si res urgetur et Callimachi, Erathosthenis, Polybii, Strabonis, Plutarchi auctoritas mihi objicitur, habeo quod respondeam. Etenim Graeci, qui contra Euhemerum scripserunt fuerunt historici et geographi.

Hi vero non Euhemeri opiniones de diis sed de geographia refellunt. [2])

Quum intelligere nollent Panchaiam fictam esse ab Euhemero, ut in longinquas Asiae regiones columnam in qua inscripta erant deorum facta relegaret, omnia, quae de Panchaia narrat, impugnant, eumque ob geographica menda carpunt.

Unus Callimachus ex ejus aequalibus primo aspectu theologicas opiniones impugnare videtur, sed optime haec dicta esse possunt, quum Euhemerum geographum rideat.

---

1) Némethy Euhemeri Reliquae p. 24: «Euhemeri doctrina accepta erat Romanis praesertim inde ab Augusti temporibus.»

Gaston Boissier: La religion romaine d'Auguste aux Antonins T. II. p. 139 sqq.

2) Geographia saepissime corrumpebatur; recte Kan De Euhemero p. 30. «Novi se aperiebant fontes, ignotas gentes regionesque adibant Graeci. Chronologia emendatior et geographia nunc demum ad historiae utilitatem adhiberi poterant. Contrarium tamen fiebat. Narrant Alexandri temporis scriptores, Anaximenes, Callisthenes, Clitarchus aliique fabulosa garrulitate multa quae viderunt et non viderunt, mythorum numerum augent. *Οὐ δὲ τοῖς περὶ Ἀλεξάνδρου συγγράψασιν ῥᾴδιον πιστεύειν τοῖς πολλοῖς* ait Strabo et recte quidem, nam miraculosa insunt multa.»

QUAESTIO I.

De Euhemeri Sacra Historia.

Antequam ad Euhemeri librum accedamus, quaedam de ejus vita dicenda sunt.

Ut multis auctoribus antiquis, ita etiam nostro accidit, ut de ejus patria non conspirarent posteriores.

Testes vero illi non omnes tantidem sunt habendi; qui temporibus, quibus vixit Euhemerus propiores sunt, eiusque scripta legisse videntur, tradunt eum *Messenium* fuisse.[1]

Utrum autem eius patria Messene in Sicilia fuerit an Messene in Peloponneso et nunc dubitatur et — uti jure observat Némethy[2] — iam antiquitus dubitatum est.

Nam Ps.-Plutarchus, quum eum Tegeatam facit,[3]) indicat se credere agi de Peloponnesiaco homine, quum ex eo, quod Clemens Alexandrinus (Protr. C. II. 24.)

---

1) Polybius apud Strab. II. 104:
Πολὺ δέ φησι (sc. Polybius) *βέλτιον τῷ Μεσσηνίῳ πιστεύειν ἢ τούτῳ* (sc. Pytheae). Ennius apud Lactantium Div. Inst. I c. 11: Antiquus auctor Euhemerus, qui fuit ex civitate Messene.

Diodorus apud Euseb. Praep. Ev. II. 2: *Ὁ Διόδωρος καὶ ἐν τῇ ἕκτῃ ἀπὸ τῆς Εὐημέρου τοῦ Μεσσηνίου γραφῆς.*

Plutarchus De Is. et Os. c. 23. *Εὐήμερος ὁ Μεσσήνιος.*

Aelianus Var. H. II. 31. *Εὐήμερος ὁ Μεσσήνιος.*

Etymologicum Magnum s. v. *Βροτός*: *Εὐήμερος ὁ Μεσσήνιος.*

2) Geyza Némethy Euhemeri Reliquiae p. 2. Liber utilissimus, quo de Euhemeri fragmentis huc usque non satis accurate collectis et in examen vocatis, docta instituitur disputatio.

3) Ps.-Plut. *Εὐήμερος ὁ Τεγεάτης*, quem sequuntur Euseb. Praep. Ev. XIV 16. et Theodoretus Graec. affect. cur. p. 758 et p. 760.

eum Agrigentinum facit,[1]) apparet hunc ecclesiasticum scriptorem de Siculo cogitare.

Si addiderimus Athenaeum (XIV p. 658.) Euhemerum Coum fuisse credentem, omnes auctores, qui de Euhemeri patria aliquid protulerunt, recensuerimus.

Unum est testimonium, quod injuria Eratostheni tribuitur a Krahnero (Geschichte des Verfalls der römischen Staatsreligion p. 25. 2.) et a Némethyo (l. c. p. 1).

Strabo I. 47. carpit Eratosthenem, quod saepius utatur testibus minime fide dignis, ut Damasta quodam: ὁ δὲ Δαμάστῃ χρώμενος μάρτυρι οὐδὲν διαφέρει τοῦ καλοῦντος μάρτυρα τὸν Βεργαῖον ἢ τὸν Μεσσήνιον Εὐήμερον καὶ τοὺς ἄλλους, οὓς αὐτὸς εἴρηκε διαβάλλων τὴν φλυαρίαν.

Haec verba ipsius Strabonis sunt, uti ex textu luculenter apparet, et ex illis nullatenus effici potest Eratosthenem credidisse Euhemerum Messenium fuisse.

Meineke (in ed. Teubn.) secutus Bernhardyum (ad Erat. p. 22.) verba ἢ τὸν Μεσσήνιον injuria supprimit. Videtur niti loco Straboniano (II. 104. 2); narrat Strabo Polybium dicere:

Ἐρατοσθένη δὲ τὸν μὲν Εὐήμερον Βεργαῖον καλεῖν Πυθέᾳ δὲ πιστεύειν quae verba non significant Euhemerum esse e civitate Berga sed Euhemerum talem esse qualis fuerit Bergaeus (Antiphanes).[2])

---

1) Clementem sequitur Arnobius Adv. Nat. IV. 29: Agragantinus Euhemerus.

2) Nomen hujus mendaciloqui ita celebre fuit ut Βεργαῖος indicaret hominem mendacem et βεργαΐζειν mentiri significaret (Steph. v. Βέργη).

Quid mirum Strabonem I. 47. Antiphanis nomen omisisse quum Polybius (apud Strabonem I. p. 104), Euhemeri nomine omisso, tantum de Μεσσηνίῳ loquatur?

Una cum Euhemero huic Antiphani (Strabo II. p. 102) nota mendacitatis inuritur: οὐ πολὺ οὖν ἀπολείπεται ταῦτα τῶν Πυθέου καὶ Εὐημέρου καὶ Ἀντιφάνους ψευσμάτων.

Argumenta, quae sive pro Peloponnesiaca Messene sive pro Sicula proferuntur non sunt magni ponderis.

Krahner[1]) et Blum[2]) autumant Euhemerum natum esse in Peloponneso; Böttiger, Schoemann, Gerlach, Ganss, Némethy[3]) contra in Sicilia.

Res nobis prorsus incerta videtur, malumusque abstinere manus quam conjecturam conjecturis superstruere.

Nec magis liquet cur Euhemero ab antiquis variae assignatae sint patriae. Fieri potest ut diutius Agrigenti, Tegeae, in insula Coo sit moratus, immo civitatem in hisce urbibus sit adeptus.

Omnia enim, quae de Euhemero narrantur, ad unum eundemque referenda sunt auctorem et ad eandem Historiam Sacram.

Nomen postea non est rarum; in Museo Vaticano vidi titulum sepulchralem, Euhemeri cujusdam nomen referentem (Cfr. etiam Zeitschrift für Papyrusforschung vol. I p. 1).

---

1) Krahner Gesch. d. V. 25.

2) Blum Einleitung in Roms alte Geschichte p. 101 hoc efficit ex eo, quod Polybius Megalopolitanus de Messenio loquatur, verbo non addito, qui, si Siciliam indicare voluisset, luculentius id fecisset.

3) Böttiger Ideen zur Kunstmythologie I. p. 187.; Schoemann in Cic. Nat D. I. 42,119.; Gerlach Hist. Stud. I. p. 142, Ganss Quaest. Euh. p. 4., Némethy p. 4.

Gerlach hoc allegat argumentum: «weil dadurch noch die leichte Verbreitung dieses Buches bei den Römern erklärlich wird, welches Ennius so wie den Epicharmos, als leicht zugänglich bearbeitete.»

Jure de Block p. 5: «En supposant, qu'Euhémère fût né en Sicile, il resterait encore à savoir s'il habita ce pays pendant l'époque de son activité littéraire. Or, dans son livre, il prétendait avoir fait partie de la cour de Macédoine, ce qui prouverait plutôt qu'il vécut en Grèce. Dès lors, comment son oeuvre aurait elle plus facilement pénétré chez les Romains?»

Certius aliquid dici potest de Euhemeri aetate. Diodorus apud Eusebium: [1])

Εὐήμερος μὲν οὖν, φίλος γεγονὼς Κασσάνδρου τοῦ βασιλέως καὶ διὰ τοῦτον ἠναγκασμένος τελεῖν βασιλικάς τινας χρείας καὶ μεγάλας ἀποδημίας, φησὶν ἐκτοπισθῆναι κατὰ τὴν μεσημβρίαν εἰς τὸν Ὠκεανόν.

In Macedonia Cassander, Antipatris filius imperium habuit ab anno 316 usque ad annum 297. Rex vero appellatus est demum anno 306. [2])

Quaenam fuerint haec regia munia et hae *ἀπο-*

Eadem fere quae Gerlach profert Susemihl (Gesch. der Gr. Litt. in der Alex. Zeit p. 316. n. 32).

«Das er genauer aus dem sikelischen Messana war, dafür spricht, dass *Ennius* bei der Übertragung griechischer Werke ins Römische sehr natürlich gerade die von Schriftstellern aus der Nachbarschaft speciell aus Sikelien in die Hände bekam, so Pseudo-Epicharmos, so Archestratos von Gela, so Euhemeros.»

Nec plus valent, quae profert Ganss Quaest. Euh. p. 4: «Quum enim omnes fere antiquissimi philosophi Graeci non ex Graecia ipsa, sed ex coloniis oriundi sint, tum Euhemerum virum tam negligentem deorum ac religionum a teneris, ut aiunt, imbibisse unguiculis par est liberiores de diis sententias quales imprimis in coloniis, utpote civitatibus liberis a prisca majorum dignitate et severitate in res novas desciscentibus ac pronis ortas, fotas, disseminatas esse nemo non largiatur.»

1) Eusebius Praep. Evang. II. 2.

2) «Annus regius» magnas parit difficultates, Cfr. Droysen II. [2] 141. Post Antigonum et Ptolemaeum «nahm auch Lysimachos von Thrakien das Diadem an und nannte sich König; auch Kassandros von Makedonien liesz sich schriftlich und mündlich König nennen, obschon er es vermied, selbst diesen Titel bei Unterschriften zu brauchen.» (Plut. Demetr. 18).

Nummi, qui portant nomen «regis» Cassandri frequentes sunt. Annum minus accurate definit Kan v. d. p. 31 «Ante annum 309 *βασιλεὺς* nominari non potuit Cassander: tum demum ultimum Alexandri filium Herculem interfecerat propulsaratque impetus Ptolemaei et Demetrii Poliorcetae.»

Inscriptiones, quibus Cassander rex nominatur inveniuntur apud Dittenbergerum Sylloge Inscript. Graecarum 127. 2; 136. 14.

δημίαι non prorsus liquet. Jure Droysen [1]) statuit probabiliter Euhemerum missum fuisse in Indiam ad regem Sandracottum.

Euhemerum vidisse regiones, quas describit, vix negari potest. Merito Rohde [2]) «In der allgemeinen Schilderung der Vegetation, der Thiere, der *μέταλλα* der Insel ist die indische Natur nicht zu verkennen.»

Alia est quaestio de tempore, quo Euhemerus suum scripserit librum, qui *Ἱερὰ ἀναγραφή* vocatur?

Habetur Callimachi apud Ps.-Plutarchum (Plac. Phil c. 7.) testimonium. [3])

---

1) Droysen Geschichte des Hellenismus III² I. 22 nt. 1: «Es wäre nach den politischen Verhältnissen des Kassandros wohl möglich dass damit eine Sendung an den Hof des Sandrokottos bezeichnet wäre.»

Idem III² 1. 80: «Die Verbindung des fernen Ostreiches mit den grossen Reichen des Hellenismus ist unzweifelhaft; ein Paar Botschaften an die Seleukiden werden erwähnt; nicht bloss Megasthenes ist von den Seleukiden an Sandrakottos, Daimachos der Plataier an Amitrochates gesendet, sondern im Auftrag des Ptolemaios Philadelphos ist Dionysius an demselben Hofe gewesen.»

2) Rohde Der griech. Roman p. 223 sq. Addit: «Mit indischen Verhältnissen stimmen auch manche der den Panchäern zugeschriebenen Sitten überein: z. B. die Abgabe eines Zehntels von allen Früchten an den König; die Kasteneinteilung, die Tracht. Diese Reminiscenzen an indische Natur und Lebensweise sind dann natürlich mit rein phantastischen und griechischen Zügen stark versetzt.»

Ganss, plaudente Sieroka, (Quaest. Euh. p. 4) autumat hanc missionem locum habuisse tribus ultimis Cassandri annis, quibus Cassandro cum Demetrio pax erat.

3) De textu constituendo dissentiunt auctores. Sequimur Némethyum (Euh. Reliquiae p. 73) qui longa disputatione Bentleyi conjecturam legentis *παγχαῖον*, reicit legitque *χάλκειον* qua in re servat codicum lectionem, nisi quod hi legunt *χάλκεον*.

Altera Bentleyi conjectura *ψήχει* hic ad rem non facit.

Εἰς τὸ πρὸ τείχευς ἱερὸν ἁλέες δεῦτε,
οὗ τὸν πάλαι χάλκιον ὁ πλάσας Ζᾶνα
γέρων ἀλαζὼν ἄδικα βιβλία ψύχει. [1])

Némethy [2]) statuit Euhemerum circa annum 260 suam expeditionem scriptis mandasse.

Totum Némethyi argumentum nititur ultimo Callimachi versu:

γέρων ἀλαζὼν ἄδικα βιβλία ψύχει.

Fieri potest ut Callimachus haec non ante annum 260 scripserit, (etsi Callimachus iam natus est circa annum 310) (Cfr. Susemihl Gesch.d. G. L. I. 347) nihil tamen obstat, quominus Euhemerum senem blaterantem libros vomentem vocaverit, quamvis iam ante multos annos suum librum ediderit. Nullomodo necesse est ut hic sit «eine gewiss nicht lange vorher und also erst im Alter des Euhemerus erschienene Schrift.» [3])

Propior a vero videtur esse Sieroka, [4]) qui Sacram Historiam scriptam esse putat circa annum 290. Stilus enim minime est senis decrepiti.

Liber, qui Euhemeri nomen celebre reddidit, vocatur *Ἱερὰ ἀναγραφή*.

Praeter hunc non alium videtur scripsisse librum, nam fragmenta, quae supersunt titulum istum vel prae se ferunt, vel in quantum sine titulo sunt, facile ad hunc librum reduci possunt. [5])

---

1) Schol. ad Alleg. Il. Tzetzis (apud Matrangam in Anecd. Graec. p. 608) in margine legitur *γέρων ἐστὶν ὁ ἄθεος Εὐήμερος.* (Schol. ad Clem. Alex Protr. c. II. 24 p. 102 ed Klotz).

2) Némethy Euh. Reliquiae p. 5.

3) Susemihl Gesch. d. Griech. Litter. I. p. 317 nt. 36.

4) Sieroka Euhemerus p. 29.

5) Unica est exceptio. Diogeniani Proverb. popul. cent II. 67: *Ἄτλας τὸν οὐρανόν· ἐπὶ τῶν μεγάλοις τισὶ πράγμασιν ἐπιβαλλομένων καὶ κακῷ τινι περιπιπτόντων.*

Adduntur his in codice Bodleiano:

De significatione vocis ἀναγραφῆς non consentiunt viri docti. Böttiger [1]) proponit «Tempelarchiv,» de Block «Inscription Sacrée» [2]) Rohde «Heilige Urkunde». [3]) Lactantius vertit verba per «Sacram Historiam» eumque sequuntur Chassang, Gaston Boissier, Kan aliique. De Block multis verbis negat vocem ἀναγραφήν habere significationem historiae; fugit vero v. d. saepe apud Diodorum et quidem etiam in fragmento Euhemero verbum ἀναγράφειν occurrere sensu narrandi, historiam pertexendi (Vide Stephanum s. v.).

Ἱερὰ ἀναγραφὴ igitur est Sacra Historia, sacra narratio, et facio cum iis, qui autumant vocem optime a Lactantio esse versam.

Alia vero est quaestio utrum revera apud *Ennium* Euhemeri libro nomen «Sacra Historia» fuerit.

Plerumque occurrit nomen Sacra Historia, [4]) ter tamen Historia Sacra, [5]) semel Euhemerus [6]) «Ennius quidem in Euhemero non primum dicit regnasse Saturnum sed Uranum patrem.»

Unde cum Némethyo [7]) facimus suspicanti titulo versionis Ennianae Euhemeri nomen additum fuisse.

Εὐήμερος ἐν ἱερῷ λόγῳ προσέθηκε τὸ ὑπεδέξω.

(Paroemiographi Graeci edd. Leutsch et Schneidewin I p. 207).

Jure statuit Némethy p. 7 titulum hunc cuidam minus accuratae scripturae deberi. Cfr. Diod. VI. fragm. Athenaeus XIV 658.

1) Böttiger Ideen zur Kunstmythologie I p. 188 Ἱ. ἀ. Tempelarchiv. «Es enthielt den ausführlichen Commentar zu einem Tempelregister, das er summarisch auf einer goldenen Säule im Tempel des Zeus Triphylios, in panchäischen Buchstaben d. h. in Hieroplyphen eingegraben fand.»

2) De Block Euhémère p. 9 sqq. Cfr. Susemihl p. 317 nt. 35.

3) Rohde p. 224.

4) Lactantius Div. Inst. I. passim.

5) ibid. c. 13; c. 17; c. 22; Augustinus Ep. 44: (Migne Patrol. T 33. p. 83.) ut ea docet historia, quam vestri etiam sacram vocant.

6) Lactantius Div. Inst. I. c. 48.

7) Némethy p. 25.

Putat titulum fuisse «Euhemerus sive Historia Sacra»; poti usdixeris «Euhemerus sive Sacra Historia.»

Provocat v. cl. ad Ennii Epicharmum, librum, Epicharmi doctrinam continentem, atque, sive jure sive injuria, nomine hujus philosophi insignitum.

Duplici titulo idem Ennius ornavit «Praecepta sive Protrepticus.» [1])

Quidquid est de Euhemeri patria, deque ejus operis titulo, primo aspectu apparet fictae narrationis forma Euhemerum librum suum induisse. Non abs re igitur nobis videtur, de hoc literarum genere apud Graecos, paucissima quaedam praemittere.

Tria in primis hujus fictarum narrationum genera sunt, eroticum dico, ethnographicum et geographico-philosophicum.

Primum genus huc nihil facit, quam ob rem hoc missum facimus. [2])

Alterum antiquissimum est, [3]) nam initium capit ab Odyssea. Quae nautae narrabant portenta et miracula a se in itineribus longinquis visa, hic collecta sunt a splendidissimo quodam ingenio. In ea narratione rerum suarum, quam fecit Ulixes coram Phaeacibus, multa mirabilia insunt, quae geographiam spectant.

Recentioris originis sunt Argonautarum narrationes apud Hesiodum in *καταλόγῳ γυναικῶν*, res jam incredibiliores narrantur; sermo enim est de Macrocephalis, de Semicanibus, de Pygmaeis. [4])

---

1) Teuffel Gesch. der Röm. Litt. [5] p. 171. Baehrens Fragm. Poet. Rom. p. 126.

2) De tota hac re cfr. Rohde Der Griech. Roman p. 1—116.

3) Rohde p. 172: «Das Abenteuerliche, Bunte, Seltsame rein um seiner selbst willen fand seine eigentliche Stelle in einer eigenthümlichen Art *ethnographischer* Dichtung, deren Spuren man durch die ganze griechische Literatur verfolgen kann.»

4) Horum jam mentio fit apud Homerum Il. III. 1. sqq. Cfr. Strabo II. 299.

Quo longius progressi sunt Graeci mercatores, eo magis exigebatur a redeuntibus ut nova semper narrarent suis.

Posteriores, uti Aristeas Proconnesius, locuti sunt de Harpyiis et de Arimaspis monophthalmis, super quos habitent gryphes auri custodes,[1] Pytheas Massiliensis a Strabone[2] carpitur quod fabulosa multa narraverit. Hi descripserant res, quas plagis Borealibus viderant.

India vero et plagae meridionales ditiora literis tribuerunt spolia.

Cultura splendidissima, arbores et plantae diversissimae, multa, quae Graecis vix nomine tenus nota erant, aspiciebantur et describebantur a Scylace, Ctesia et Megasthene.[3]

Pretiosissimas narrationes — quod dolendum est — fabulosis deformabant; narrabant enim, quod et Herodotus fecit, ea, quae ab Indis et Persis acceperant, nulla crisi adhibita.

Aliud est genus fabularum, quod magis attentione nostra dignum est: geographico—philosophicum dico.

Plato[4] praeiverat in Atlantide sua, in qua felicissimus ante Deucalionem Atheniensium status, eorumque cum Atlantidis incolis pugna, describuntur.

Quum de Atheniensibus in seclusas partes divisis, de bonis inter omnes communibus,[5] de vita optime ordinata narrat et ab altera parte nobis proponit fructibus et floribus ditissimam Atlantidem, ubi odora-

1) Herodotus IV. 13. 14.

2) Strabo II. 104.

3) Posteriores geographi sua debent Indicis Megasthenis (Schwanbeck Megasthenis Indica p. 6.) Herodotus vero sua videtur habere ex Scylace (III 98—106).

4) Plato Critias et Timaeus 20 D—25 E.

5) Critias 110C.: *ἴδιον μὲν αὐτῶν οὐδεὶς οὐδὲν κεκτήμενος, ἅπαντα δὲ πάντων κοινὰ νομίζοντες αὐτῶν.*

menta et metalla frequentissima, sacrae domus atque privatae ditissimae sunt, civitati suae philosophicae, quae exemplar omnibus esset, opposuit barbaricam civitatem, quae externis quibusdam rebus et luxu nitebatur.

Theopompus Platonem secutus est; habetur apud eum illa *Μεροπὶς γῆ*, ubi homines et animalia mira magnitudine inveniuntur; sunt urbes Machimos et Eusebes — allegorica certe nomina — quarum prioris incolae bellicosissimi sunt; nascuntur enim cum armis ac bella semper gerunt, finitimosque in suam potestatem redigunt, alterius cives in pace vitam agunt ditissimi am adque eos dii saepe accedunt. Insuper sunt Meropes homines, apud quos locus est, circa quem prolabuntur duo fluvii, alter Voluptas, Tristitia alter; ad ultimum quae sunt arbores fructus ferunt, quos qui gustaverit tantum emittit lacrymarum, ut ejulans contabescat; arbores vero fluvio Voluptati adsitas contrarium ferunt fructum: quo qui utitur, paulatim fit junior ac superiores et jam transactas aetates recipit.[1])

Una cum Theopompo a Strabone[2]) nominatur Hecataeus. Fuit discipulus Pyrrhonis Sceptici, uti Diogenes narrat.[3]) Praeter *Αἰγυπτιακά* sive *Περὶ τῆς Αἰγυπτίων φιλοσοφίας* scripsit librum *Περὶ τῶν Ὑπερβορέων*[4]). Credebant Graeci in ultimis terrae finibus populum felicissimum Hyperboreos habitare.

Incolunt insulam in Oceano Celticae oppositam; solum optimum est, bis in anno messis habetur; homines Apollinem summo honore prosequuntur.

---

1) Aelianus V. H. III. 18.

2) Strabo II. 299.

3) Diog. Laert. IX. 69.

4) Fragmenta collecta sunt a Muellero Fragm. Hist. Gr. II. 386—388. Eum ab allegoria non abhorruisse patet ex eo, quod Apollinis sacerdotes apud Hyperboreos sunt *Βορέου καὶ Χιόνης υἱέες* (fragm. 4. Aelian. H. A. XI. 1.)

Hujus dei lucus est magnificus et templum insigne multis donariis ornatum; sunt uno verbo felicissimi et religiosissimi homines; quid mirum Apollinem vicesimo quoque anno insulam adire?

Hecataeus igitur vividissimis coloribus piissimi populi summam felicitatem depingit. Jure Muellerus[1]) «altius quiddam narrationibus istis subest, quippe quas tamquam sanctae vitae atque virtutis exempla sui aevi hominibus proposuerint.»

Longius adhuc progressus est Jambulus cujus et patria et aetas[2]) ignoratur. Hic post patris mortem mercaturae causa per Arabiam ad terram odoribus plenam profectus, a piratis captus ducitur in Aethiopiam et ab Aethiopibus ad votum solvendum mittitur in insulam. Ab incolis benigne exceptus postea insulae naturam pulcherrimae describit; mirae res ibi inveniuntur, mira animalia et plantae; incolae felicissimi, qui linguam quadamtenus geminam habent, vivunt annos 150, quibus peractis in plantis recumbunt hocque modo suavissime moriuntur.

Hymnis canticisque celebrant quos deos putant: *τὸ περιέχον πάντα καὶ ἥλιον καὶ καθόλου πάντα τὰ οὐράνια.*

Postea Jambulus cum socio ut malefici ejiciuntur ab insulanis, cymba vehitur in Indiam benigneque a rege, qui Palibothris regnabat, excipitur et dimittitur in Persiam et inde in Graeciam.

Hic fictae narrationis forma reipublicae quaedam

---

1) Mueller Hecataeus Abderita. Fragm. Hist. Gr. II. 384. Rohde p. 211: «Hecataeus nun hatte, in seiner Schilderung jenes hyperboreischen Landes ein philosophisches Ideal zu zeichnen versucht . . . . wir sehen dass *sein wesentlicher Zweck der war, in dem Volke der Hyperboreer ein Musterbild frommer Götterverehrung und deren segenreicher Folgen aufzustellen.*» (p. 213.)

2) Dicit tamen se venisse ad regem *φιλέλληνα*, qui Palibothris regnantem, qui videtur fuisse Sandrakottes (regn. 315—291).

imago, felicitas vitae secundum naturam actae, quae paucissimis contenta est, pingitur.[1])

Ut in regionis fictae descriptione ita in ficta narratione vitae cujusdam hominis celeberrimi, doctrina quaedam de republica proponi defendique potest, cujus rei classicum exemplum est Xenophontis Institutio Cyri. Id non est historicum opus, nec Cyrus describitur talis, qualem historici nobis proponunt, neque monarchia Persarum unquam fuit haec, quam Xenophon depingit, sed sub Cyri persona optimus gubernator adumbratur, et quantum valeant educatio militaris et institutio indicatur.

Haec praemittenda esse censuimus, ut tandem ad ipsam Euhemeri fictae narrationis dispositionem veniamus.

Difficillimum est cum de toto opere Euhemereo tum de singulis partibus judicium ferre. Lacera sunt fragmenta et sparsa apud tres et viginti auctores.

Nihilominus breviter argumentum — nondum respectu habito Euhemeri consilii, jure enim postulat Böttiger (Kunstmythologie I c. 1. p. 186) «die Trennung der Einkleidung und der Tendenz des Buches;» — adumbrare conabimur.

Apud Némethyum p. 30 haec leguntur: «Praefatio. Auctor suam de diis doctrinam exponit; deos quos gentes colunt, apud priscos populos potentes viros, reges et imperatores fuisse contendit.» (Sext. Emp. IX. 17. p. 552).

---

1) Rohde p. 240: «Auch aus der üppigsten Ueberwucherung des rein Phantastischen tritt die specielle Tendenz hervor. Es ist offenbar, dass er den vollkommenen Glückzustand der Menschheit in der Beschränkung auf den einfachsten und frühesten Naturzustand sieht.»

A Luciano Ἀληθῆ διηγήματα I. 3 una cum Ctesia Jambulus irridetur.

Etiam si fragmentum apud Sextum genuinum est, tamen nullomodo haec in praefatione legi possunt. Abhorret prorsus a fictae narrationis natura planissimis verbis in praefatione operis argumentum indicari; nonne hac methodo totius fictae narrationis, quippe quam deceat initio argumentum suum sub involucris tradere, suavitas concidit?

Pergit Némethy: «Introductio. Descriptio Panchaïae. Quomodo hanc sententiam veram esse cognoverit, enarrat.»

Ex superioribus patet nec haec nobis probari. Nostro judicio initio narrat se jussu Cassandri regia quaedam munia, longasque peregrinationes obiisse et in Arabiam felicem, cujus naturam copiose describit, pervenisse.[1] Deinde se profectum e felici Arabia per plures dies navigavisse et tandem appulsum fuisse ad insulas quasdam in alto mari sitas, quarum tres sunt memorabiles: sacra insula, altera insula et Panchaia.

Sacra in insula non licet mortuos sepeliri. Videtur nobis Némethy[2] injuria nexum statuisse hanc inter rem et insulam Rhenaeam. Cadavera hic sepeliri nefas, quod insula sacra est *Soli.*[3]

Fuse describitur hujus insulae natura, expers est aliarum arborum sed abundat thure, myrrha, ceterisque aromatibus; thuris tantam copiam gignit, ut haec sufficiat ad sacra deorum procuranda per totum orbem.[4]

---

1) De Cassandri jussu postea dicemus.
Diodorus L. VI. V. c. 41. 2.

2) Rohdium Der Griech. Roman p. 221. 2. secutus.

3) Diserte quidem in fragmentis id non dicitur, verum effici posse mihi videtur ex eo, quod in Panchaia memoratur *ἡλίου ὕδωρ* et quod Uranus fuisse narratur *τῆς τῶν ἄστρων κινήσεως ἐπιστήμων*. Cum hac re etiam cohaerere videntur, quae habet Arrianus Anab. VII. 20. de insula Icara.

4) Quocum conferas fabulam apud Plinium N. H. XII. c. 14.

Thuris et myrrhae natura et collectio copiose enarrantur. Paliurus etiam nascitur et pro medicina adhibetur.[1]) Locus hic multis in rebus conspirat cum Arriani Anabasi (VI. 22. et VII. 20. 1—2).

Insulam (cujus nomen non proditur) incolunt Panchaei, qui sua aromata in continentem transportant venduntque Arabicis mercatoribus, a quibus alii emunt feruntque in Phoeniciam, Coelen-Syriam, Aegyptum, denique per totum orbem terrarum.[2])

Pauca quaedam de hujus insulae republica narrantur; vivunt incolae sub rege, cui optima pars terrarum decimaeque cedunt fructuum.

Est etiam tertia et quidem praecipua insula, cui Panchaia nomen, quae a praecedenti distat stadiis triginta, jacetque Orientem versus; ex hujus insulae promunturio India, licet ob magnam distantiam nebulosa, conspicitur.

Regio circa Jovis templum, in monte situm, fertilissima est, abundatque omnigenis arboribus. Terra irrigatur fluminibus et rivis, aves nidulantur in altis arboribus, flores herbaeque ubique germinant, vitium habetur ubertas. Tota haec narratio suavitatis plena est, auctoremque non mediocrem prodit. Jure v. cl. Kuiper locum comparat cum versibus Judaici poetae Ezechielis (apud Eusebium servatis) de quibus postea agendum erit.[3])

Alius est etiam mons diis sacer, cui nomen Coeli Sella[4]) et Olympus *Τριφύλιος*, quo in monte sacerdotes quotannis sacra magna faciunt.

---

1) Plinius N. H. XXIV c. 13 multa narrat de paliuro.

2) Injuria Némethy p. 31: «quae *incolae*, Panchaei, in Phoenice, Coele Syria et Aegypto venditant.»

3) Cfr. Arrianus Anab. VII. 20. 3—6.

4) Apud Lactantium Div. Inst. I. c. 11. legitur: Deinde Panchaeum deducit in montem, qui vocatur Coeli *Stella*. Recte Krahnerus: Coeli *Sella* (*Οὐρανοῦ δίφρος*).

Abundat regio animalibus omnigenis, elephantibus, leonibus, pardalibus, dorcadibus.[1]) Diversa metalla in Panchaia inveniuntur: aurum, argentum, aes, stannum ferrum.

Ex incolis indigenae sunt Panchaei, advenae vero Oceanitae, Indi, Scythae, Cretenses. Olim tres erant gentes: Panchaei, Oceanitae, Doii; ultimi ejecti fuerunt ab Ammone eorumque urbes Doia et Asterusia funditus deletae. Etsi id non expresse dicitur, tamen hi Doii hostes fuisse videntur ceteris incolis; Ammon igitur, Doiis ejectis, gratum reliquis fecisse videtur. Doiorum locus occupatur ab Indis, Scythis et Cretensibus.

Celeberrima urbs est Panara; ejus incolae, Jovis Triphylii supplices, soli ex Panchaeis legibus utuntur suis regioque regimine carent.

Sunt et aliae tres urbes Hyracia, Dalis et Oceanis.[2]) Omnis populus, qui bellicosus est, dividitur in tres classes; prima classis sacerdotum est, quibus junguntur artifices, secunda agricolarum, tertia militum additis pastoribus.

Regimen est sacerdotale, lites dijudicant remque publicam gubernant sacerdotes, agricolae suos fructus conferunt in commune, similiter et pastores victimas et pecora.

In universum ea colitur vivendi ratio, quae omnium omnia communia esse jubet; nemini licet possidere res proprias, domo hortoque exceptis, sacerdotes suum cuique tribuunt, ipsique sibi duplicem servant partem.

Vestibus utuntur incolae mollissimis; aureum or-

I) Quid inter haec ferocia animalia δορκάδες? Habuitne ante oculos Xen. Anab. I. 5. 2. an a Diodoro haec omnia summatim referuntur?

2) Apud Diodorum V. 45. legitur: ἔχει δὲ ἡ νῆσος αὕτη καὶ πόλεις τρεῖς ἀξιολόγους, vide num scribendum sit: καὶ ⟨ἄλλας⟩ πόλεις τρεῖς?

natum non solae mulieres sed et viri gestant induuntque collis torques,[1]) brachiisque armillas, auribusque Persarum modo inserunt anulos.

Deorum in servitium incumbentes sacerdotes canunt hymnos et encomia, celebrantque cantu eorum res gestas ergaque homines beneficia. Dicunt se originem trahere ex Creta, inque Panchaiam adductos fuisse, quo tempore Juppiter degens inter mortales totius orbis rex esset. Ostendunt etiam inscriptiones, quas ipsum Jovem dicunt exarasse, quum templum cujus magnificentia describitur (sui ipsius in honorem?) construeret.[2])

Jovis lectum ex mundissimo auro celato est confectum. Medio in lecto est columna aurea magna, in qua literis, quae sacrae vocantur apud Aegyptios, Urani, Saturni et suae a Jove descriptae sunt res gestae, quibus Mercurius postea Dianae et Apollinis res gestas addidit.

Necesse habuimus de hisce omnibus fusius agere, quia nostro judicio haec non in sola praefatione sed totius libri decursu descripsit Euhemerus.[3])

---

1) Euhemerus hic et alibi Xenophontem ante oculos habuisse videtur. Apud Xen. Anab. I 5. 8. de Persis haec leguntur: *ἔχοντες τούς τε πολυτελεῖς χιτῶνας καὶ τὰς ποικίλας ἀναξυρίδας, ἔνιοι δὲ καὶ στρεπτοὺς περὶ τοῖς τραχήλοις καὶ ψέλια περὶ ταῖς χερσίν.* Nonne vox *κύκλους* in sententia, quae apud Diodorum 45.6. habetur insiticia: *περὶ μὲν τοὺς τραχήλους ἔχοντες στρεπτοὺς κύκλους, περὶ δὲ τὰς χεῖρας ψέλια*? Cfr. Arrianus Anab. VI. 29. *καὶ στρεπτοὶ καὶ ἀκινάκαι.*

2) Templum hoc Jovis Triphylii secundum Diodorum V. 42. 6. situm est in planitie; accuratius vero res narratur ab eodem in fragmento apud Eusebium servato, ubi dicitur: *κατά τινα ὑψηλὸν καθ' ὑπερβολὴν ἱερὸν Διὸς Τριφυλίου.*

3) Jure Némethy: «quod ad I. V. 41—46 attinet est epitome satis ampla e libro primo Euhemeri, quamquam insunt non nulla, quae ipsa Messenii nostri verba referre videntur. Cum enim in tota descriptione Diodorus praesenti verborum tempore, ut geographum decet, uteretur, interdum paulo neglegentius excerpens imperfectum tempus ab auctore suo usurpatum retinuit velut c. 43. 3. et 44. 1—2.»

Geographi enim, Eratosthenem, Callimachum, Strabonem dico, illi infensissimi sunt, quod explicari nequit, nisi multo plura de hisce insulis narravit magnamque geographiae partem eorum judicio corrupit.

Narrat Euhemerus de inscriptionibus sacris, quas in Panchaia vidit. Uranus primus est rex; una cum fratribus, (quorum nomina non memorantur) regnum sibi instituit.[1]) Ubi regalem sedem habuerit in servatis fragmentis non indicatur, videtur vero id fuisse in Panchaia. Uranus fuit *τῆς τῶν ἄστρων κινήσεως ἐπιστήμων* et sacrificiis coluit *τοὺς οὐρανίους θεούς*.

Habuit ex uxore Vesta filios Titana[2]) et Saturnum et filias Rheam Cereremque; mortuus est in Oceania et in oppido Huracia[3]) sepultus. Saturni facta hoc modo a Némethyo (p. 32) componuntur et Euhemero vindicantur:

«*De Saturno.* Post mortem Urani Saturnus regnavit, cui Titan, frater maior natu, ea condicione imperium concessit, ne virilis sexus liberos, si qui ei nati essent, educaret. Ita enim sperabat regnum ad filios suos esse rediturum. Saturnus autem uxorem duxit Opem (Rheam), quae clam viro peperit et in tuto collocavit filios, Jovem Neptunum Plutonem, contra filias, Junonem et Glaucam, quae brevi mortua est, ei ostendit. Ita Juppiter in insula Creta educabatur, quem infantem apes nutriebant.

Saturno rege ita feri adhuc erant hominum mores, ut ne a humana quidem carne abstinerent, qua vesci Juppiter primus prohibuit. Hac fortasse ratione Euhemerus etiam fabulam illam explicare temptavit, quae a Saturno filios devoratos esse ferebat.

Deinde Titan, postquam Saturno filios clam edu-

---

1) Ita apud Lactantium Div. Inst. I. c. 13. et Ep. ad Pentad. c. 14.

2) Diod. L. VI. *Πᾶνα* sed cfr. Lact. D. I. I. c. 14.

3) Nomen corruptum probabiliter restituit Némethy p. 53.

catos esse rescivit, una cum filiis suis Saturnum et Opem comprehendit et in vincula coniecit. Interea Juppiter e pueris excessit, aquila ei in capite considens regnum portendit. Postquam igitur parentes custodiis circumsaeptos esse audivit, cum Cretensibus suis in Panchaiam venit, Titanem devicit, deinde in Cretam rediit. Post haec autem Saturno sors data est, ut caveret, ne filius eum regno expelleret. Quare Jovem timens insidiatus ei est. Tunc Juppiter cognitis insidiis bellum patri intulit, in Olympo monte castra posuit, Saturnum fugavit, qui in Italiam postea se recepit.»

Rectene haec Euhemero vindivicavit v. d.? Omnia, quae de Saturno narrantur, si paucissima excipias Lactantio debentur. Lactantius vero sua non Euhemero debet sed Ennio. Nequaquam facio cum Krahnero Lactantium fraudis accusante, sed puto multa ab *Ennio*, ad Saturnum spectantia, addita fuisse. Saturnus enim antiquus deus italicus est; quid mirum Ennium, quum Italis scribat, Saturni res gestas longe lateque narrare, praesertim quum non verbum verbo vertat, sed Euhemerum imitetur et sequatur.[1])

Praeterea apud Lactantium habentur narrationes quae etymologiam Latinam spectant: «Vix in Italia locum, in quo *lateret* invenit»;[2]) «eumque *Curetes* filii sui *curaverunt.*»[3])

Insuper illa verba «persequentibus armatis, quos ad comprehendendum vel necandum (Saturnum) Juppiter miserat,» dubium movent.

Tandem, quod gravissimum est, de tota hac Saturni fuga nihil in Diodoro invenitur.

1) Ciceronis (De Nat. D. I. c. 42. 119) verba «quem noster et interpretatus *et secutus* est praeter ceteros Ennius» hoc indicare videntur. Ipse Lactantius Div. Inst. I. c. 11. «hanc historiam et interpretatus est Ennius et secutus.»

2) Apertius Vergilius Aen. VIII. 322—23.

3) Lactantius Div. Inst. I. c. 11.

Apud Diodorum, quem nos habemus, duo loci Euhemero debiti occurrunt. Primo loco (V. 41—46.), ubi fuse Panchaia et columna cum inscriptione sacra describuntur, ne nomen quidem Saturni occurrit; altero vero haec leguntur: *τὰς τοῦ Οὐρανοῦ καὶ Κρόνου καὶ Διὸς πράξεις κεφαλαιωδῶς*, contra V. 46. 7. *ἦσαν αἱ πράξεις Οὐρανοῦ τε καὶ Διὸς ἀναγεγραμμέναι.*

Tota narratio insidiarum, pugnarum, fugaeque in Italiam a Diodoro exulat. De Saturno igitur, nostro judicio, non multa in Euhemeri Sacra Historia inveniuntur,[1]) quod attinet ad Jovem, res aliter sese habet.

Ipse columnam in insula Panchaia erigit, inscriptionesque quibus suas ipse res gestas narrat, exarat.

Quaenam fuerunt illae res gestae? Difficile est hoc ex laceris fragmentis statuere. Breviter rem complectitur Diodorus (L. VI. fragm.)

Τὸν δὲ Δία διαδεξάμενον τὴν βασιλείαν τοῦ Κρόνου γῆμαι Ἥραν καὶ Δήμητρα καὶ Θέμιν ἐξ ὧν παῖδας ποιήσασθαι Κούρητας μὲν ἀπὸ τῆς πρώτης, Περσεφόνην δὲ ἐκ τῆς δευτέρας, Ἀθηνᾶν δὲ ἀπὸ τῆς τρίτης. Ἐλθόντα δὲ εἰς Βαβυλῶνα ἐπιξενωθῆναι Βήλῳ καὶ μετὰ ταῦτα εἰς τὴν Παγχαίαν νῆσον πρὸς τῷ Ὠκεανῷ κειμένην παραγενόμενον Οὐρανοῦ τοῦ ἰδίου προπάτορος βωμὸν ἱδρύσασθαι. Κἀκεῖθεν διὰ Συρίας ἐλθεῖν πρὸς τὸν τότε δυνάστην Κάσιον ἐξ οὗ τὸ Κάσιον ὄρος. Ἐλθόντα δὲ εἰς Κιλικίαν πολέμῳ νικῆσαι Κίλικα τοπάρχην, καὶ ἄλλα δὲ πλεῖστα ἔθνη ἐπελθόντα παρ' ἅπασι τιμηθῆναι καὶ θεὸν ἀναγορευθῆναι.

Optime paucis verbis Diodorus Sacrae Historiae argumentum adumbrare videtur.

Jam nunc liceat nobis aperte proferre sententiam, Jovem illum esse Alexandrum Magnum, hujusque res gestas illius sub imagine depingi.

---

1) Jure ut videtur Sieroka De Euhemero p. 22 «Quas ob causas deus immortalis sit habitus ex Euhemero jam dici nequit.»

In animo nobis est sequenti paragrapho longe lateque de hisce disputare; hoc tantum in praesenti monere sufficit: ex omnibus, quae addita sint a Lactantio, nihil huic opinioni adversari, si excipias ea, quae de Saturno habentur.

Uti de rebus minutis jam hic dicam, quae apud Lactantium aliosque scriptores ecclesiasticos habentur narrationes de Venere, de Cadmo et Harmonia, de Atlante, de quibusdam proverbiis, nobis, qui fictae narrationis indolem libello tribuimus, non tantam difficultatem pariunt quantam illis, qui cum Lobeckio putant Euhemerum theologicum systema, ut deorum naturam explicaret, excogitasse.

Sacrae Historiae libri ad minus tres fuerunt, Athenaeus (XIV p. 658) enim haec habet: *Εὐήμερος ἐν τῷ τρίτῳ τῆς ἱερᾶς ἀναγραφῆς.* Quot vero numero fuerint, dici nequit.

QUAESTIO II.

De Sacra Historia et de Historia Alexandri Magni.

A. De Sacrae Historiae cum Alexandri Magni Historia convenientia.

Jam primum mihi Euhemeri fragmenta legenti multa visa sunt inesse, quae apte explicari non possint, nisi respectu habito Alexandri Magni ejusque successorum historiae.

Interius re inspecta et saepius volutis fragmentis haec opinio firmior facta est, mansitque — ut Vergilii verbo utar — alta mente reposta.

Quae res, quum, quantum scio, nondum observata, vel saltem non qua decet cura tractata sit, longiori examine digna videtur.

Omnes viri docti agunt — etsi nimis breviter, nec ex omni parte sufficienter — de partibus, quas Alexandri Magni ad longinquas regiones itinera in geographiam et historiam, sive universam sive euhemeream habuerunt. Sic Némethy in descriptione insulae Panchaiae «ubertatem terrarum orientalium expeditione Alexandri Magni patefactarum et mores institutaque populorum ibi habitantium artificiose adumbrata» [1]) agnoscit.

Praeter haec v. cl. nihil profert, ex quo effici possit, eum aliquid in opere conficiendo Alexandri rebus tribuere.

1) Némethy p. 5.

Apud Sieroka (De Euhemero) ne nomen quidem Alexandri occurrit.

Alexandri partes in scientiis constituendis majores sunt. Ejus itinera novum Graecis aperuerant mundum; agricolae, paucis ante annis in Europae angulo latitantes, facti sunt universi orbis domini.

Graeciae civitates olim periculis, quae illis a parte Orientis minitabantur, unitae restiterunt, Persarumque rex foede profligatus fugam arripuit, sed tamen, devictis barbaris, lites inter graecas civitates iterum eruperunt et *ὁ βασιλεύς* bello Peloponnesiaco saepe Graecorum cum damno intervenit.

Nonne bellum Corinthiacum auro barbarorum incensum est eoque fotum crevit, nonne pace Antalcidea graecae urbes in Asia Minori sitae, insulaeque Clazomenae et Cyprus illi traditae,[1]) nonne autonomia, quam rex omnibus viribus contra Graecos, qui illam negligerent, defensurum se promiserat, omnem unitatem solvit, barbarumque jugum iterum iis imposuit?

Alexandri expeditio uno ictu omnia mutavit, terrasque huc usque incognitas Graecis aperuit. Audiverant quondam de regum Persarum thesauris, nunc ipsi horum domini facti sunt; Bacchi Herculisque itinera tamquam divina facta mirati erant; nonne Macedones longius progressi sunt quam dii ipsi?

Lacera horum temporum historiarum fragmenta ostendunt, quam perculsa fuerint Macedonis itineribus et factis Graecorum ingenia.

Nec tantum perculsi fuerunt, sed, cum vivo, tum in primis mortuo Alexandro divinos tribuerunt Graeci honores.

De hisce paucissima nobis dicenda sunt.

Ante Alexandrum a Graecis raro reges in deo-

---

1) Xenoph. Hell. V. 1. 31.

rum numero collocati fuerunt. [1]) Primus Philippus ipse sibi tribuit divinitatem et suam statuam, dei habitu cultuque ornatam, juxta deorum statuas collocavit,[2]) tamen quod orsus erat, praematura morte correptus, pertexere nequivit.

Filius Alexander mox divinam prae se tulit originem, patrem non Philippum sed Ammonem esse affirmans; notumque comitibus oraculum consulentibus praeceptum fuisse «ut Alexandrum pro deo non pro rege colerent.» [3]) Interdum Mercurii vel Herculis vel Dianae habitu indutus fuit Alexander, — ut cuique deus populo gratior erat — [4]) immo prope Corinthum erat Alexandri, Jovis habitu, ἄγαλμα.[5])

Initio ob solos barbaros ementitus est divinitatem, sed devictis Persis «Jovis filium credi volebat, jussitque more Persarum Macedonas venerabundos ipsum salutare prosternentes humi corpora» (Curtius

1) Heroicos quidem honores tribuit suo civitas quaeque conditori aut liberatori, ut Athenienses Theseo (Herod. VI. 38), Chersonenses Miltiadi (ibid), Amphipolitani Brasidae (Thuc. V.11).

In ipsa Graecia — aliter sese habet res in Sicilia — soli, quantum notum est, Sicyonii mortuos suos tyrannos divinis honoribus prosecuti sunt (Hell. VII. 3.12).

Ante mortem Lysandro primo hic honor, non in patria quidem, sed a Samiis fuit datus (Plut. Lys. 18). Ita Beurlier p. 2 sqq. (Cfr. F. Deneken. Art. Heros. p. 2516 sqq. in Roscheri A. L. d. Gr. u. R. Mythologie).

2) Diod. XVI. 92 et 93.

3) Plut. Alex. 2. et 27. Justin. XI. 11. Diod. XVII. 51. Strabo XVII. 1.43. Arr. Anab. III 3. 2; 4.5.

4) Ephippus apud Athen. XII. 53. p. 537. Mueller Script. R. A. M. p. 123 nº 3.

5) Pausan. XIV. 11. Cfr. Horat. Carm. III. 5. 1—4. Coelo tonantem etc.

De tota hac re Cfr. A. Beurlier: De divinis honoribus, quos acceperunt Alexander et successores ejus; (Par. 1890) et ejusdem auctoris: Le culte impérial, son histoire et son organisation, depuis Auguste jusqu'à Justinien 1891. Optime Beurlier tractat quaestionem.

VIII. 5. 5.) Hanc quia spreverat divinam originem capite plectitur Clitus poenasque luit Callisthenes.

Jam adulatores «qui tum caelum illi aperiebant Herculemque et Patrem Liberum et cum Polluce Castorem novo numini cessuros esse jactabant» (ibid.), quos olim spreverat, libenter audiebat.

Postea non solum a barbaris sed etiam a Graecis civitatibus deus voluit haberi; misitque legatos, ut se in deorum numerum adsciscerent.[1]

Non opus est dicere, quot quantaeque lites exarserint Athenis, Demade rogante, ut, juxta duodecim majores deos, decimum tertium haberent Alexandrum, Demosthene initio contra hanc rogationem loquente; notum est etiam Lacedaemoniorum illud ironice dictum: *Συγχωροῦμεν Ἀλεξάνδρῳ ἐὰν θέλῃ θεὸς καλεῖσθαι.*[2] Ex Graecis urbibus nihilominus veniunt *θεωροί* Babylonem, aureas illi coronas offerentes.[3]

Quid mirum Alexandrum hanc mentem habuisse? Iisdem enim legibus regi voluit omnes populos, Graecos Barbarosque; Persae autem reges suos divinae originis consortes credebant, Aegyptii Solis filios putabant.

Post mortem mox pro deo Alexandrum coluerunt, Olympiae[4] ejus statua inter deorum *ἀγάλματα* habebatur; Chalcidenses lucum illi sacraverunt, ludosque in ejus honorem instituerunt,[5] Clazomenis instituta est *θυσία τῶν Ἀλεξανδρείων.*[6]

Per totum orbem terrarum diffusus est hic Alexandri cultus, sed ante omnes Macedonicos duces Seleucus et Ptolemaeus, ut imperii sui fundatorem generisque sui auctorem, pie eum venerati sunt.

1) Aelianus V. H. II. 19. 2. V. 12.
2) Plut. Apopht. Lac. Mor. I. 269.
3) Arrianus Anab. VII. 15.
4) Paus. V. 20. 10; 24. 11; VI 11.1.
5) Strabo XIV. 1.31.
6) B. C. H. 1885. p. 389.

Ptolemaeus Soter Alexandro templum erexit, sacrificia ei obtulit, ludosque in ejus honorem instituit, brevi divinis honoribus eum cumulavit. [1])

Redeamus eo unde exorsi sumus.

Quod jam statim, nullo testimonio audito, cum magna veri specie expectari poterat, convenientiam esse Euhemero cum Rerum Alexandri Magni Scriptoribus, id comparatis scriptis illis cum Historia Sacra fere certum fieri videtur.

Immo nostro judicio Euhemerus ficta narratione usus Alexandri res gestas refert quasi sint ipsius Jovis res gestae.

Hoc vero facit — dubitanter haec addimus — ut Cassandro divinos honores conciliet.

Iniquum fatum — quod summopere dolendum est — cum Euhemeri tum illorum opera pene prorsus abstulit. Innumeros fuisse Rerum Alexandri Scriptores probant et Arriani in praefatione Anabaseos verba: *οὐδ' ἔστιν ὑπὲρ ὅτου πλείονες ἢ ἀξυμφωνότεροι ἐς ἀλλήλους (ἔγραψαν)*, et lacera fragmenta e tribus et triginta scriptoribus a Muellero collecta.

Antequam de singulis Euhemeri fragmentis dicamus, dicendum est de hac relatione *in universum* et comparanda Sacra Historia cum fontibus secundariis, Arrianum dico, Curtium, Strabonem aliosque.

1. Initium faciendum est a loco qui invenitur apud Curtium. [2])

«Haud multo post Nearchus et Onesicritus, quos longius in Oceanum procedere iusserat, superveniunt. Nuntiabant autem quaedam audita, alia conperta: insulam ostio amnis obiectam auro abundare... Cetera incolis crediderant, inter quae: rubrum mare non a colore undarum, ut plerique crederent, sed ab Erythro rege

1) Theocr. Idyll. 17. 18.
2) Curtius X. 1. 10—19.

appellari, esse haud procul a continenti insulam palmetis frequentibus consitam et in medio fere nemore columnam eminere, Erythri regis monumentum, litteris gentis eius scriptam. Adiciebant navigia, quae lixas mercatoresque vexissent, famam auri secutis gubernatoribus in insulam transmisisse nec deinde ab iis postea visa. Rex cognoscendi plura cupidine accensus rursus eos terram legere iubet, donec ad Euphratis os adpellerent classem, inde adverso amne Babylona subituros. Ipse animo infinita conplexus statuerat, omni ad orientem maritima regione perdomita, ex Syria petere Africam, Carthagini infensus, inde Numidiae solitudinibus peragratis cursum Gadis dirigere, — ibi namque columnas Herculis esse fama vulgaverat, — Hispanias deinde, quas Hiberiam Graeci a flumine Hibero vocabant, adire et praetervehi Alpes Italiaeque oram, unde in Epirum brevis cursus est.»

In hac narratione multa notatu digna et quae cum Euhemerea narratione mire conspirent, inesse neminem fugit, inter quae plures insulas esse, quarum situs cum situ Panchaiae et aliarum Sacrae Historiae insularum conveniat, utrasque enim inveniri in sinu Persico; utramque insulam auro abundare et omnigenarum arborum copiam habere.[1] Tandem attendantur Curtii verba: «esse haud procul a continenti insulam palmetis frequentibus consitam et in medio fere nemore *columnam* eminere, *Erythri regis monumentum, litteris gentis gentis ejus* scriptam.» Quibuscum comparentur Diodori verba:[2]) *ἐν τούτῳ τῷ ἱερῷ στήλην εἶναι χρυσῆν, ἐν ᾗ τοῖς Παγχαίοις γράμμασιν ὑπάρχειν γεγραμμένας τὰς τοῦ Οὐρανοῦ καὶ Κρόνου καὶ Διὸς πράξεις κεφαλαιωδῶς* et Lactantii[3]) verba: «In fano Jovis Triphylii, ubi

1) Diod. V. 41 sqq.
2) ibid. VI. fragm.
3) Lactantius Div. Inst. I. c. 11.

aureum *columnam* positam esse ab ipso Jove titulus indicabat, in qua *columna* sua gesta perscripsit; ut *monumentum* posteris esset rerum suarum.»

In utriusque auctoris narratione, Curtianam dico et Euhemeream, habetur igitur columna, in amoenissimo nemore posita, scripta literis indigenis, quae res gestas hic Jovis illic Erythri continet, quaeque est monumentum regis.

Alia insuper lucramur ex loco Curtiano; clare indicat auctor Nearchum Onesicritumque haec perhibere, narratio Curtiana igitur sive mediate, sive immediate, ex uno horum auctorum fluxit.

Certum ergo videtur Euhemerum, cum quoad insulam Panchaiam, tum quoad columnam, regis monumentum, cum Historiae Alexandri scriptore quodam conspirare. [1])

Hic vero auctor fuit Nearchus uti ex Strabone [2]) et ex Arriano apparet.

Ἀπὸ δὲ τῆς Καρμανίας εἰρήκασι καὶ Νέαρχος καὶ Ὀρθαγόρας νῆσον Ὤγυριν κεῖσθαι..... ἐν ᾗ τάφος Ἐρύθρα δείκνυται, χῶμα μέγα, ἀγρίοις φοίνιξι κατάφυτον· τοῦτον δὲ βασιλεῦσαι τῶν τόπων καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὴν θάλατταν ἐπώνυμον καταλιπεῖν.

Arrianus [3]) vero ex Eratosthene *Nearchum* secuto: *ἄμπελοί τε ἐν αὐτῇ ἐπεφύκεσαν καὶ φοίνικες . . . ἐν ταύτῃ τῇ*

---

1) Verum quidem est narrationem de columna neque apud Arrianum neque apud Strabonem inveniri. Quum vero Curtius aperte indicat, Nearchum et Onesicritum haec perhibere, fides ei habenda est, neque jure dici potest eum haec vel ex Euhemero vel ex Ennio addidisse.

2) Strabo XVI. p. 766 sq.

3) Arrianus Indica c. 37. Cfr. Arr. Anab. V. 5. 1. Fränkel Die Quellen der Alexander-Historiker. p. 128 et p. 132. «Derjenige welcher zuerst von allen Augenzeugen und Gefährten Alexanders über die Natur des indischen Landes nach eigenen Beobachtungen etwas aufzeichnete war Nearch.» Luedecke. De fontibus, quibus usus Arrianus Anabasin composuit. p. 58. (Leipz. Stud. XI).

νήσῳ ἔλεγον καὶ τοῦ πρώτου δυναστεύσαντος τῆς χώρης ταύτης δείκνυσθαι τὸν τάφον· οὔνομα δὲ αὐτῷ Ἐρύθρην εἶναι, ἀπ' ὅτου καὶ τὴν ἐπωνυμίην τῇ θαλάσσῃ ταύτῃ εἶναι [Ἐρυθρὴν καλέεσθαι].

2. Arriani liber septimus, vario sub respectu, viris doctis attentione dignus visus est. Hoc libro Arrianus—quacumque de causa—non amplius Ptolemaeum sed Aristobulum sequitur.

Nostrum non est in universum de hisce quaestionem instituere, inspiciamus tantum ea, quae cum Euhemero rationem habere videntur.

Mira est congruentia inter illa, quae de Alexandri voto et de Jovis apotheosi narrantur.

Arr. VII 20 1. *Οὔκουν ἀπαξιοῦν καὶ αὐτὸν* (Alex) *τρίτον ἂν νομισθῆναι πρὸς Ἀράβων θεόν, οὐ φαυλότερα ἔργα Διονύσου ἀποδειξάμενον, εἴπερ οὖν καὶ Ἀράβων κρατήσας, ἐπιτρέψειεν αὐτοῖς, καθάπερ Ἰνδοῖς, πολιτεύειν κατὰ τὰ σφῶν νόμιμα.*

Euhemerus apud Diod. VI. *Ἐλθόντα δὲ εἰς Κιλικίαν πολέμῳ νικῆσαι Κίλικα τοπάρχην, καὶ ἄλλα δὲ πλεῖστα ἔθνη ἐπελθόντα παρ' ἅπασι τιμηθῆναι καὶ θεὸν ἀναγορευθῆναι.*

Strabo XVI. 741 11. *τρίτον (θεόν) ὑπολαβεῖν ἑαυτὸν τιμήσεσθαι, κρατήσαντα καὶ ἐπιτρέψαντα τὴν πάτριον αὐτονομίαν ἔχειν ἣν εἶχον πρότερον.*

Lactantius Div. Inst. I. 22. Nam cum terras circumiret .... Jubebat *sibi fanum* creari .... Gaudebant ergo illi (hospites) et huic imperio ejus (Jovis) libenter obsequebantur et nominis sui gratia ritus annuos et festa celebrabant.

3. Ulterius progrediendum est; sequuntur apud Arrianum VII. 20. 3. narrationes de *insulis quibusdam* in sinu Persico sitis: *Δύο δὲ νῆσοι κατὰ τὸ στόμα τοῦ Εὐφράτου πελάγιαι ἐξηγγέλλοντο αὐτῷ, ἡ μὲν πρώτη μικροτέρα καὶ δασεῖα*

ὕλῃ παντοίᾳ; quam ut perhibet Aristobulus Alexander *Ἴκαρον* vocari jussit.

Droysen[1]) de hac re: «Alexander gab, seltsam genug, dieser Insel den Namen jenes Ikaros, der den kühnen Flug bis in die *Sonnennähe* gewagt.» Non mirum nam insula *Solis* fuisse videtur sicut et illa Euhemerea: *Ἱερά, καθ' ἣν οὐκ ἔξεστι τοὺς τετελευτηκότας θάπτειν.*

Compares velim cum Arrianea descriptione Euhemeream, quam habet Diodorus (V. 41. sqq.).

Jam hisce, nisi omnia nos fallunt, probatur *in universum* relationem esse inter Euhemeri Sacram Historiam et Historiam Macedonis: Jovem illum Alexandri vultum habitumque habere in oculos incurrit.

Nunc ad *singula* veniamus.

1. Narrat Euhemerus montem in Panchaia vocari *Τριφύλιον Ὄλυμπον*, quia ejus montis accolae ex tribus sint populis, quos vocari *τοὺς μὲν Παγχαίους τοὺς δὲ Ὠκεανίτας, τοὺς δὲ Δῴους οὓς ὕστερον ὑπὸ Ἄμμωνος ἐκβληθῆναι. Τὸν γὰρ Ἄμμωνά φασι μὴ μόνον φυγαδεῦσαι τοῦτο τὸ ἔθνος, ἀλλὰ καὶ τὰς πόλεις αὐτῶν ἄρδην ἀνελεῖν, καὶ κατασκάψαι τήν τε Δῴαν καὶ Ἀστερουσίαν. Θυσίαν τε κατ' ἐνιαυτὸν ἐν τούτῳ τῷ ὄρει ποιεῖν τοὺς ἱερεῖς μετὰ πολλῆς τῆς ἁγνείας.*

Primo aspectu hic Ammon hostis videtur esse Panchaeorum, interius tamen re inspecta nullo modo est; etenim uti jam supra animadvertimus, Doiorum gens minime amice cum reliquis Panchaeis vixisse, Ammonque, iis ejectis, gratum quid agricolis fecisse videtur.

Hoc et probatur ex ipso ejectionis tempore, haec enim locum habet *ὕστερον*, i. e. post Urani tempora, si vero Uranus fuit *βασιλεύων τῆς οἰκουμένης* (Diod. V. 45. 6.) eademque res dicitur de Jove (46. 3.), fieri vix potuit, ut Doii ex insula, in qua totius orbis terrarum dominus habitaret, ab alio *hostili* rege ejicerentur.

1) Droysen I. [2] 327.

Etiam ea, quae statim sequuntur, beneficium Panchaeis rettulisse Ammonem probant, sacerdotes enim in hoc monte annuum sacrificium faciunt, sed cui deo? Non indicatur, sed sensus flagitat ut Ammonis nomen addemus.

Iste igitur *Ἄμμων* Euhemereus fuisse videtur *Ζεῦς Ἄμμων*, qui reliquis in locis simpliciter *Ζεῦς* vocatur.

Si vera sunt, quae disputavimus, pretiosum lucramur testimonium, esse illum Ammonem Jovem — Alexandrum; libentissime enim hunc Ammonis filium, immo Ammonem vocari, Aegyptiosque eum cognomine dei cornigeri Hircum salutasse, notissimum est.[1])

2. Graecis omnibus nullum praeclarius exemplum *regiae* dignitatis est quam Alexander; ipse orbem terrarum regit, ipse *γῆς τε ἁπάσης καὶ θαλάσσης κύριος*,[2]) ad ipsum sacri legati velut ad deum accedunt.[3])

Atqui Juppiter, apud Euhemerum (uti et avus Uranus et pater Cronos) semper est *rex et summus dux*, qui totum orbem circumit et populos varios debellat.

Loci ex quibus haec res apparet pullulant, sufficiant hi:

Ἱερὸν Διὸς Τριφυλίου καθιδρυμένον ὑπ᾽ αὐτοῦ καθ᾽ ὅν καιρὸν ἐβασίλευσε τῆς οἰκουμένης ἁπάσης ἔτι κατὰ ἀνθρώπους ὤν.[4])

Ὅτε κατ᾽ ἀνθρώπους ὤν ἐβάσιλευσε τῆς οἰκουμένης.[5])

Μετὰ ταῦτά φησιν πρῶτον Οὐρανὸν γεγονέναι βασιλέα.[6])

Μυθολογοῦσι τὸν παλαιὸν Οὐρανὸν βασιλεύοντα.[7])

---

1) Just. XI. 11. Plut. Alex. 27. 3. Diod., XVII. 51. Strabo p. 813. Arrian. Anab. III. 3. 2; 4. 5. IV. 9. 9. VI. 3. 2; 19. 4. Curtius IV. 7. 25. sq. VI. 9.18. Cfr. Beurlier De divinis honoribus. p. 7. sqq.

2) Arrianus VII. 15. 5.

3) ibid. 23. 2.

4) Diod VI.

5) Diod. V. 44.

6) Diod. VI.

7) Diod. V. 44. 6.

Ennius quidem in Euhemero non primum dicit *regnasse* Saturnum, sed Uranum patrem. Initio, inquit, primus in terris imperium summum Caelus habuit. Is id *regnum* una cum fratribus suis sibi instituit atque paravit.[1])

Κρόνον δὲ βασιλεῦσαι μετὰ Οὐρανόν.[2])

Βασιλεῦσαι δὲ αὐτόν. [3])

Scriptum est in historia sacra primum Jovem, *leges* hominibus moresque *condentem.* e. q. s.[4])

Sacra vero historia ante consedisse illi aquilam in capite atque ei *regnum* portendisse testatur.[5])

Reliqua historia sic contexitur: (Jovem) patri *regnum* reddidisse . . . Jovem cognitis insidiis *regnum* sibi denuo vindicasse.[6])

Τὸν δὲ Δία διαδεξάμενον τὴν βασιλείαν. [7])

Juppiter Neptuno imperium dat maris, ut insulis omnibus et quae secus mare loca essent, omnibus *regnaret.*[8])

(Jovem) *Ἐλθόντα δὲ εἰς Κιλικίαν πολέμῳ νικῆσαι Κίλικα τοπάρχην.*[9])

Historia vero sacra testatur ipsum Jovem, posquam *rerum potitus sit,* in tantam venisse insolentiam, ut ipse sibi fana multis in locis constituerit. Nam cum terras circumiret, ut in quamque regionem venerat, *reges principesve* populorum hospitio sibi et amicitia copulabat.[10])

1) Lactantius Div. Inst. I. c. 13.
2) Diod. VI.
3) Joannes Laur. Lydus De mensibus fragm. Caseolinum ed. Bekker.
4) Lactantius Div. Inst. I. c. 13.
5) ibid. c. 11.
6) ibid. c. 14.
7) Diod. VI.
8) Lactantius Div. Inst. I. c. 11.
9) Diod. VI.
10) Lactantius Div. Inst. I. c. 22.

Ad Jovem in jus veniebant.[1])

Juppiter . . . amicis atque cognatis suis *imperia* divisit.[2])

Τοὺς νομιζομένους θεοὺς πάντας ὁμαλῶς διαγράφων εἰς ὀνόματα στρατηγῶν καὶ ναυάρχων καὶ β α σ ι λ έ ω ν.[3])

Nimirum ii omnes, qui coluntur ut dii, homines fuerunt, et iidem primi ac maximi *reges.*[4])

Εὐήμερος μὲν ἔλεγε τοὺς νομιζομένους θεοὺς δ υ ν α τ ο ύ ς *τινας γεγονέναι ἀνθρώπους.*[5])

Omnia haec deprompta sunt, sive ex Euhemeri fragmentis, sive ex testimoniis de eo; sunt et alia, quae Euhemeri nomen non prae se ferunt, sed tamen cum ejus doctrina cohaerere videntur. Sic ecclesiastici scriptores saepissime omnem deorum cultum a *regali* cultu repetunt.

S. Cyprianus:[6]) Deos non esse quos colit vulgus, hinc notum est: *Reges* olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud suos postmodum etiam in morte coeperunt.

Lactantius:[7]) Video alium deum *regem* fuisse primis temporibus alium consequentibus.

Idem:[8]) Cum populus *regem* pro Deo habere coepisset.

Minucius Felix:[9]) Similiter ac vero erga deos quoque majores nostri improvidi, creduli, rudi simplicitate crediderunt: dum *reges* suos colunt religiose, dum defunctos eos desiderant in imaginibus videre

---

1) ibid. c. 11.
2) ibid. c. 11.
3) Plutarchus De Iside et Osiride c. 23.
4) Lactantius De ira Dei c. 11.
5) Sextus Emp. Adv. Math. IX. 50.
6) S. Cyprianus De idolorum vanitate c. 1.
7) Lactantius Div. Inst. I. c. 8.
8) ib. V. 5. Cfr. Tertullianus Apol. cc. 10. et 11.
9) Octavius XX.

dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere: sacra facta sunt, quae fuerant assumpta solatia.

Haec omnia probant Euhemerum suos deos in primis *regali* charactere insignire voluisse. Quae res minime mira videtur si attendimus quanto fulgore Alexander omnium aequalium, immo posterorum hominum, mentes perstrinxerit.

3. Sunt vero alia adhuc fragmenta et testimonia quibus clarius Alexandri imago elucet. Eusebius nobis particulam Diodori libri sexti servavit; narrata ibi Jovis prosapia prosequitur Siculus: *Κἀκεῖθεν διὰ Συρίας ἐλθεῖν πρὸς τὸν τότε δυνάστην Κάσιον, ἐξ οὗ τὸ Κάσιον ὄρος.*[1] *Ἐλθόντα δὲ εἰς Κιλικίαν πολέμῳ νικῆσαι Κίλικα τόπαρχην, καὶ ἄλλα δὲ πλεῖστα ἔθνη ἐπελθόντα παρ' ἅπασι τιμηθῆναι καὶ θεὸν ἀναγορευθῆναι.*

Proficiscitur igitur per Syriam, in Ciliciaque devincit regem Ciliciae, multas obit gentes et apud omnes veneratur et deus vocatur.

An obscure hisce Alexandri res gestae significantur? Ipse enim apud Issum in Cilicia Darium regem magno proelio vicit, et haec victoria illi portas Syriae et Aegypti aperuit; brevi post ad Jovem Ammonem proficiscitur, ab eoque primum, deinde a populis Asiae, deus vocatur.

Miro modo cum his conspirant, quae habet de Alexandro Pseudo-Callisthenes I. 42. *κἀκεῖθεν ὥρμησεν εἰς τὰ μέρη τῶν βαρβάρων διὰ τῆς Κιλικίας.*

4. Alius est locus, qui observatione dignus nobis videtur.

Narrat Euhemerus *Ἐλθόντα δὲ εἰς Βαβυλῶνα ἐπιξενωθῆναι* (sc. Jovem) *Βήλῳ.*

Proficiscitur igitur Juppiter *Babylonem*, ibique Beli hospitio utitur.

---

1) De Jove Casio cfr. Drexler apud Rosch. II. 970 sqq.

2) Rohde Der Griech. Roman p. 185.

Arrianus narrat, qua pietate Alexander Belum prosecutus sit, nam Babylonem ingressus, cum alia templa, quae Xerxis furor dejecerat, *ἀνοικοδομεῖν* jubet, tum *Βήλου τὸ ἱερόν, ὃν μάλιστα θεῶν τιμῶσι Βαβυλώνιοι.*[1])

Haec quando Babylonem primum intravit; longo interjecto tempore redeunti, iterum curae est templum, teste eodem: Beli templum in media Babyloniorum urbe situm erat, magnitudine praeclarum. Alexander in animo habebat templum restaurare. Erat Belo deo multum agri consecratum, multum etiam aurum. Deinde *παρελθόντι δ'αὐτῷ ἐς Βαβυλῶνα* legationes Graecorum obviam venerunt.[2])

5. Ut *Babylone* Juppiter ille Euhemereus iter facit in Panchaiam, quae contra Arabiam sita est, ita Alexander Babylone ad Pallacopam navigat, inde *ὡς ἐπὶ τὴν Ἀράβων γῆν.*

Ut in Sacra Historia sacerdotum genus a Jove in longinquam Panchaiam e Graecia ducitur, ita Alexander ad sinum Persicum *πόλιν ἐξῳκοδόμησε καὶ ἐν ταύτῃ κατῴκισε τῶν Ἑλλήνων τινάς.*[3])

6. Apud Lactantium[4]) quaedam occurrunt, quae quia maturo examine digna sunt, postea examinabimus, sufficiat hic dicere, Jovem ibi «terras circumire,» «reges principesve populorum hospitio sibi et amicitia copulare.» «Gaudebant illi et huic imperio ejus libenter obsequebantur et nominis sui gratia ritus annuos et festa celebrabant.» «Hoc modo religionem cultus sui per orbem terrae Juppiter seminavit et *exemplum ceteris ad imitandum dedit.*»

Estne difficilis comparatio Jovem hunc inter et Macedonem, qui, terras circumiens, ubique animos principum allicere studet? Babylonem veniunt Graeci

---

1) Arrianus Anab. III. 16. 4.
2) ibid. VII. 17. 1—3; 19. 1; 21. 1.
3) Diod. VI. fragm. Arr. Anab. VII. 21. 7.
4) Lactantius Div. Inst. I. c. 17.

legati *ὥς θεωροὶ δῆθεν ἐς τιμὴν θεοῦ.*[1]) Nonne nota sunt illa Ionum festa, quae verbo attingit Strabo: [2]) *Ὑπέρκειται δὲ τῶν Χαλκιδέων ἄλσος καθιερωμένον Ἀλεξάνδρῳ τῷ Φιλίππου, καὶ ἀγὼν ὑπὸ τοῦ κοινοῦ τῶν Ἰώνων Ἀλεξάνδρεια καταγγέλλεται, συντελούμενος ἐνταῦθα.*

Qui tandem exemplo, a Macedone dato, largius usi sunt quam diadochi? Quid opus de Ptolemaeo, de Antigono, de Lysimacho, de Seleuco, ante omnes de Demetrio, Antigoni filio, loqui? [3])

7. Nec negligendus nobis videtur Lactantii locus,[4]) ubi agit de Jovis fine: «Deinde Juppiter, postquam quinquies terras circuivit omnibusque *amicis atque cognatis suis imperia divisit* reliquitque hominibus leges, mores, frumentaque paravit, multaque alia bona fecit, immortali gloria memoriaque affectus sempiterna monumenta sui reliquit ... ad deos abiit.»

Quocum comparentur Sacrae Scripturae verba: [5]) «Et vocavit (Alexander) *pueros suos nobiles*, qui secum erant nutriti a juventute *et divisit illis regnum suum.»* [6])

8. A Flavio Josepho [6]) quidam auctores, qui de Judaeis scripserunt, nominantur. Locus sic sonat: *Θεόφιλος καὶ Θεόδοτος καὶ Μνασέας καὶ Ἀριστοφάνης καὶ Ἑρμογένης, Εὐήμερος τε καὶ Κόνων καὶ Ζωπυρίων καί πολλοὶ τινες ἄλλοι τάχα.*

In horum scriptorum numero ergo est Euhemerus. Mira sane res, Euhemerum Sacram Historiam scribentem et Jovis res gestas narrantem, de Judaeis agere. Aliter res sese habet si de Alexandro est sermo, is enim ipse Palaestinam, iter faciens in Aegyptum peragravit.

---

1) Arrianus Anab. VII. 23. 2.
2) Strabo XIV. p. 644. Cfr. Droysen I. [1] p. 235. nt. 2.
3) Cfr. Beurlier De divinis honoribus etc. p. 36. sqq.
4) Lactantius Div. Inst. I. c. 11.
5) Machab. I. 1. 7.
6) Josephus contra Apionem I. 23. Eusebius Praep. Evang. IX. 42.

9. Plinius narrat: «qui de iis (sc. de pyramidibus) scripserunt sunt Herodotus, *Euhemerus, Duris Samius*, Aristagoras, Dionysius, Artemidorus, Alexander Polyhistor, Butoridas, Antisthenes, Demetrius, Demoteles, Apion.» [1])

Alexander per multum tempus fuit in Aegypto, de Jove-Alexandro cogitans optime loqui potuit Euhemerus de hisce monumentis

Accedit, quod una cum Euhemero, a Plinio nominatur Duris Samius, qui de Alexandri rebus gestis scripsit et cui, uti notum est, Plutarchus [2]) multa debet.

10. Eadem res animadvertatur apud Clementem Alexandrinum, apud quem, statim post Euhemerum, sequitur Nicanor: *Εὐήμερον τὸν Ἀκραγαντῖνον καὶ Νικάνορα τὸν Κύπριον*, de quo Lactantius: «Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit.» [3])

11. Apud Lactantium haec leguntur: «Sacra Historia

---

1) Plinius N. H. XXXVI. 12.

2) Plutarchus Vita Alex. 15. 1. ib. 46.

3) In unico Arnobii, quem habemus codice, haec occurrunt: «Et possumus quidem hoc in loco omnis istos, nobis quos inducitis atque appellatis deos, homines fuisse monstrare vel Agragantino Euhemero replicato, cujus libellos Ennius, clarum ut fieret cunctis, sermonem in Italum transtulit, vel *Nicagora* Cyprio vel *Pellaeo Leonte* vel Cyrenensi Theodoro vel Hippone ac Diagora Meliis, vel auctoribus aliis mille, qui scrupulosae diligentiae cura in lucem res abditas libertate ingenua protulerunt.» (Adv. Nat. IV. 29.)

Nomen «Nicagora» ibi corruptum esse, Meursius ex Clemente, quem sequitur Arnobius, ostendit; praeterea de Nicagora quodam Cyprio nihil notum est. Idem ergo rerum Alexandri Magni scriptor est quem Clemens habet. (Cfr. Némethry p. 76.)

Arnobius et alium addidit, qui apud Clementem hoc loco non occurrit, Pellaeum Leontem dico; etiam hic de rebus Alexandri scripsit. (Cfr. Lobeck p. 999.) Augustinus Civ. Dei VIII. 27. «Leone sacerdote prodente ad Olympiadem scribit Alexander.» (Schol. Apoll. IV. 262: *Λέων ἐν πρώτῳ τῶν πρὸς τὴν μήτερα.*

testatur ante consedisse illi aquilam in capite atque ei regnum portendisse.» [1])

Locus non paucas parit difficultates iis, qui volunt, Euhemerum pragmaticam sive rationalisticam mythorum explicandorum methodum secutum fuisse; in Alexandri Magni vero historia aquila suum locum habet, teste Justino. [2])

12. Apud Plutarchum [3]) Euhemerus est: *τοὺς νομιζομένους θεοὺς πάντας ὁμαλῶς διαγράφων εἰς ὀνόματα στρατηγῶν καὶ ναυάρχων καὶ βασιλέων.*

Nonne exempla imperatorum, nauarchorum, regum, qui se deos faciunt in Historia Alexandri abundant? Clitus Neptuni cognomen accepit et tridentem gestavit, Demetrius *καταιβάτης* vocatus est sacraque oracula edidit, Lysimachus *λόγχῃ τοῦ οὐρανοῦ ἅπτεται*, taliaque multa. [4])

Hisce de Jove dictis ad narrationem de Venere accedamus. Breviter cum Némethyo [5]) Euhemeri de Venere narratio restitui potest.

Venus initio erat meretrix in Cypro, deinde regis Cinyrae amica et regina facta est imperavitque mulieribus, ut vulgato compore quaestum facerent; postquam mortua est, rex eam divorum in numero consecravit et in honorem ejus mysteria condidit. [6])

Tota haec res etiam in Alexandri Historia invenitur. Harpalus [7]) enim, Machatae filius, e regali gente

---

1) Lactantius Div. Inst. I. c.11.
2) Justinus XII. 16.
3) Plut. De Is. et Os. c. 23.
4) Plut. De fort. Al. II. 5.
5) Némethy Addenda reliquiis Euhemeri p. 8.
6) Lactantius Ep. ad Pent. c. 9. Div. Inst. I. c. 17. Clemens Alex. Protr. c. II. 13 et 14.
Arnobius Adv. Nat. IV. c. 24. V. 19. Firmicus Maternus De err. prof. rel. c. 10.
Theodoretus Graec. aff. cur. III. p. 767.
7) Arrianus Anab. III. 6. 4.; 19. 7.

Elymiota, postquam semel illi condonavit Alexander facinora, iterum regios thesauros dissipavit. Athenis arcessiverat famosissimum scortum, cui nomen Pythionice, quam vivam regiis muneribus affecit, mortuam maximis impensis coluit, cuique pretiosissimum in Attica monumentum, immo templum Veneris Pythionices construxit. [1])

Defuncta Pythionice, arcessivit aliud scortum, cui statuam in promunturio Rhosso erexit, jussitque ut nemo sibi dicaret auream coronam — i. e. divinis se honoribus afficeret — nisi simul dicata esset etiam Glycerae. [2])

Hisce probare conati sumus intimam esse relationem Sacram Historiam inter et Scriptores Historiae Alexandri Magni.

Quomodo vero, nostro judicio, haec relatio explicanda sit jam dicendum est.

Ante omnia tenendum est Euhemeri opus fictam esse narrationem, ideoque non singula Euhemerea singulis Alexandreis respondere.

Deinde, ut quaestio recte solvatur, paucis verbis describendi sunt fontes primarii Alexandri Rerum gestarum.

Droysen[3]) horum scriptorum partes hoc modo optime adumbrat:

---

1) Diodorus XVII. 106. 4. sq.

2) Theopomp. fr. 277. 278. Fragm. H. Gr. I. 73.

Nonne praestat legere apud Theodoretum Graec. affect. cur. disp. III. p. 767 *χαμαιτύπην γὰρ αὐτὴν [καὶ] ἑταίραν*, omisso *καὶ*? et apud Arnobium Adv. Nat. IV. c. 24. «Numquid rege a Cyprio, cujus nomen Cinyras est, *dictatum* meretriculam Venerem divorum in numero consecratam» *delicatam* scribere? Unicus cod. Paris. 1661. habet: *dictatum*, Gelius: ditatam, Némethy dilectam. Nostrum *delicatam* magis accedere videtur ad codicis lectionem.

3) Droysen Gesch. des Hellenismus I. ² p. 381 sq. (Beilage II. Die Materialien zur Geschichte Alexanders).

«Als eine zweite Reihe kann man diejenige Schriften ansehen, welche über einzelne Vorgänge eingehend gehandelt haben ... Ueber ausgeführte Aufträge, über militärische Expeditionen .... sind mannigfache Berichte an den König eingesandt, und theils diese selbst, theils nachmahlige Ausführung derselben, hat das Alterthum in der That gehabt: dass der Thasier Androsthenes, der mit Nearch die Seefahrt vom Indus nach den Euphrat gemacht hatte, über seine weitere Entdeckungsfahrt an der Küste Arabiens geschrieben hat, sieht man aus Strabo (XVI. 766) und Theophrast (fr. 31.)

Vor Allen bedeutsam in dieser Reihe ist *Nearchos,* dessen Aufzeichnungen die ganze Zeit seines Commandos über die Flotte, deren Fahrt auf dem Hydaspes begann, umfaszt zu haben scheinen. Plutarch führt aus den Ephemeriden (Alex. 76.) an:

κατακείμενος ἐν τῷ λουτρῶνι τοῖς περὶ Νεάρχον ἐσχόλαζεν ἀκροώμενος τὰ περὶ τὸν πλοῦν καὶ τὴν μεγάλην θάλατταν.»

Fabulosa etiam in hisce insunt multa, etenim duces non omnia viderant ipsi, sed audiverant plura.

In sacra Historia duplex ergo fingendi ratio ac methodus fuisse videtur:

1° expeditiones maritimae ab aliis revera susceptae Jovi-Alexandro adscribuntur.

2° quae Alexander perficere in animo tantum habuit, ut jam perfecta describuntur.

Vel fortasse ita apertius: 1° Euhemerus, et ipse multo vagatus, has Nearchi aliorumque nauarchorum narrationes ante oculos habens, suam composuit Sacram Historiam remque hoc modo proposuit, ut jam non nauarchi illi, sed ipse Juppiter - Alexander maritimas expeditiones susceperint.

2° Quod apud historicos mente tantum volvit Alexander apud Euhemerum jam perfecit. Hi enim nar-

rant ὅτι ἐπενόει Ἀλέξανδρος — Babylone hoc tempore degebat — circumnavigare magnam Arabiae partem, Aethiopum regionem, Libyam et Numidas, atque ita superato Atlante monte cursum Gades dirigere et in nostrum penetrare mare. Ita demum Africa, Carthagineque subacta totius *Asiae* regem jure vocari se posse judicabat.» [1])

Apud Curtium (X. 1. 17.) fere eadem — statim post maritimas expeditiones in Erythri insulam — narrantur, omittuntur quidem Arabes et Aethiopes sed adjungitur: «adire et praetervehi Alpes Italiaeque oram, unde in Epirum brevis cursus est.»

Non unus Euhemerus Jovem - Alexandrum in Panchaiam prope Arabiam ducit; licet enim Alexander revera non sit potitus Arabia, tamen apud Plinium invenitur narratio, quae — vide quantum Macedonis fama eundo creverit — haec docet: «Alexandro Magno in pueritia sine parsimonia thura ingerenti aris, paedagogus Leonides dixerat, ut illo modo cum devicisset thuriferas gentes supplicaret. At ille *Arabia potitus* thure onustam navim misit ei, exhortatus, ut large deos adoraret.» [2])

Hisce praepositis Diodori verba iterum inspiciamus (fr. L. VI). ἄλλα δὲ πλεῖστα ἔθνη ἐπελθόντα παρ' ἅπασι τιμηθῆναι καὶ θεὸν ἀναγορευθῆναι.

Omnia luce adspergi videntur. Intelligitur cur Euhemerum Plinius [3]) inter auctores numeret, qui de pyramidibus, Josephus [4]) inter eos, qui de Judaeis scripserint.

1) Arrianus Anab. VII 1.2. *Asia* pro toto orbe terrarum — excepta Europa — hic accipitur. Cfr. Arr. An. V. 26. 2.

2) Plinius N. H. XII. c. 14. Jure Droysen I. [2] p. 395. «Die Tendenz zum historischen Roman, die schon mit Kallisthenes begann und in Kleitarchos einen vielbewunderten Ausdruck fand, ist, wie es scheint, früh zum völlig Romanhaften gesteigert worden.»

3) Plinius N. H. 36. 12.

4) Flav. Jos. contra. Ap. I. 23.

Tandem proverbium illud Ἄτλας τὸν οὐρανὸν ὑπεδέξω [1]) quod Euhemero referunt auctores, nonne facilius intelligitur si suspicamur ad eandem rem id spectare, quam Arrianus l.l. exposuit: ὑπὲρ τὸν Ἄτλαντα τὸ ὄρος ὡς ἐπὶ Γάδειρα κ. τ. λ.

Hisce omnibus consideratis, liceat nobis duas conclusiones proponere:

1. Extra omne dubium nobis videtur, esse intimam relationem Sacram Historiam inter et Historiam Alexandri Magni.

2. Nisi fallimur Euhemerus ficta narratione usus Alexandri res gestas refert quasi sint ipsius Jovis res gestae.

B. De Euhemeri in suo opere scribendo consilio.

Fieri vix potest ut Euhemeri consilium e laceris certe eruatur fragmentis, sed, ut in re incerta, suspicionem proferre, quid vetat?

Nostro judicio non id ille egit, quod eum egisse volunt viri docti (cfr. p. 4. sqq.), ut destrueret deorum fidem, sed ut sub Jovis, summi dei, persona, Alexandri res gestas depingeret et hoc modo Cassandro divinos honores acquireret.

Primo aspectu Euhemerus Alexandri et successorum ejus apotheosi obstitisse videtur, sed interius re inspecta, apparebit sicuti homines literati in exercitu vivo regi faverunt, ita eum favisse mortuo.

Fuit Euhemerus uti illi aulicus poeta; ejus agendi ratio eo modo dijudicanda est, quo eorum.

De hisce aulicis poetis quaedam praemittere non abs re nobis videtur. Auctores, qui de rebus Alexandri scripserunt saepe partes tantum tractaverunt, alii tacticam artem, alii historiam, alii geographiam, alii

---

1) Paroemiographi Graeci edd. Leutsch et Schneidewin I. p. 207. vide apud Németh. p. 64.

quos Graeci bematistas, Romani itinerum mensores vocaverunt, de itinerum longitudine et de iis, quae cum hac re cohaerent, scripserunt, alii de metallis, quae in istis longissimis regionibus inveniuntur egerunt.[1])

Sed praeter hos, ut ita dicam, technicos, fuerunt et rerum gestarum scriptores, quos Curtius[2]) poetas vocat, Romani aulicos poetas postea appellaverunt et qui a Justino[3]) dicuntur: «ab ipso rege ad prodenda memoriae acta ejus acciti.»

Libera hoc voce non fieri ex ipsa rei natura patet et probatur multis locis. «Aristoteles — ut ait Valerius Maximus[4]) — Callisthenem auditorem suum ad Alexandrum dimittens monuit ut cum eo aut rarissime aut quam *jucundissime* loqueretur: quo scilicet apud regias aures vel silentio tutior, vel sermone esset acceptior.»

Quomodo ultima verba acciperentur ab hisce, patet Callisthenis exemplo, initio expeditionis Alexandri. Ille narrat mare Pamphylicum praetereunti Alexandro regressum esse, quasi viam illius sentiens et regem agnoscens *ἵνα ἐν τῷ ὑποκυρτοῦσθαί πως δοκῇ προσκυνεῖν.*[5]) Alio loco exhibet, quomodo in itinere ad Jovem Ammonium praecesserint corvi immo eos, qui aberravissent, revocaverint; dicit vatem Ammonis eum, Dei nomine ut parentis, salutasse et quaerenti, an interfectores parentis sui omnes poenas dedissent, respondisse: *οὐ γάρ εἶναι πατέρα θνητὸν αὐτῷ.*[6])

Quam superbe de se ipsis hi sophistae cogitaverint, apparet exemplo ejusdem Callisthenis, qui diceret, Alexandrum et ejus res gestas ex suo pendere ju-

1) Droysen I. [2] p. 383, sqq.
2) Curtius VIII. 5.
3) Justinus XII. 6.
4) Valerius Max. VII. 2.
5) Plut. Alex. 17. Callisth. fragm. 25 (Mueller Script. Rer. Alex.). (Eustath. II. XIII. 29.)
6) Plut. Alex. 27. (fr. 36).

dicio, se eum esse, qui gloriosum eum redderet.

Ante omnes heroas Alexander Achillem suum avum mirabatur; hujus facta imitari in votis erat. Quid mirum eum adamasse poetas, qui suas res gestas describerent et cantarent, sicut Homerus Achillis iram cantavisset?

Sed tractu temporis hi literati, Agis, Cleo, Anaxarchus facti sunt adulatores et blanditores «perpetuum malum regum»; jam non sufficiebat iis magnas ejus res gestas debitis laudibus celebrare, sed ad deos Alexandrum evehebant, nec ingratum quid faciebant duci.

Euhemerus in eadem hominum classe ponendus est qua illi; non fuit theologus, qui dedita opera theologicis et philosophicis argumentis paternos deos homines tantum fuisse probaret, sed cum vellet laudare reges et efficere ut divinos honores a parte populi acciperent, ficta narratione usus, regum et in primis Alexandri res gestas narravit, quasi fuerint deorum, praesertim Jovis, res gestae.

Illam si operis rationem fuisse conicio, jam desino mirari, cur praecipui dii, apud Euhemerum, reges sint; hac solutione lumine adsperguntur quae obscura fuerunt. Ex agendi ratione igitur blanditorum et poetarum, qui Alexandrum sequebantur, Euhemeri consilium et opus elucidanda sunt.

Euhemeri illud *ὑβρίζειν ἐς θεούς* comparari potest cum impia fraude qua regis blanditores usi sunt in eo convivio, quo Clitus occisus est, ejus atheismus convenit cum illorum atheismo.

Movet me ut credam hoc Euhemeri consilium fuisse, quod Euhemerismus tempore Imperatorum gratissimus acceptatissimusque Romanis erat.[1])

---

1) Boissier La religion romaine d'Auguste aux Antonins I. 110 sqq. II. 139 sqq. De Mithridate cfr. Cic. Pro Fl. 25. Plut. Flam. 16 Tac. Ann. IV. 57. Livius XXXXIII. 6.

Némethy p. 24: «Euhemeri doctrina adeo accepta erat Ro-

Ii recte videntur perspexisse quantum ad suam stabiliendam divinitatem valuerit Euhemeri doctrina. Quid mirum Euhemerum ipsum armis usum fuisse ad eum finem attingendum, ad quem tria post saecula iis uterentur Imperatores Romani? [1])

Jure Drexler: [2]) «Für die Griechen, bei denen der Heroendienst und später die *euhemeristische Auffassung* der Götter der Verehrung der Herrscher einen *günstigen* Boden schufen, begann nach einigen früheren Anläufen, mit der Errichtung der hellenistischen Monarchieen im Orient durch Alexander und die Diadochen der Kultus der Könige etwas Altägliches zu werden.»

Neque Krahnerum, etsi hanc relationem negat, fugit aliquid mirum subesse; scribit enim:

«Oder wollte Jemand etwa die *Apotheose* des Ptolemaeus Soter, der Berenice und der sämmtlichen Ptolemäer lieber als eine Folge des Buches des Euhemerus ansehen als auf natürliche Weise mit ande-

---

manis praesertim inde ab Augusti temporibus, ut siquis Ennii versus obsoletis locutionibus refertos, in formam minus duram et insolitam redigere temptaverit, gratissimum fecerit lectoribus in litteris mediocriter versatis.»

1) Nonne Euhemerismum sapiunt Horatii versus (C. III. 3. 9. sqq.):

Hac arte Pollux et vagus Hercules
enisus arces attigit igneas,
quos inter Augustus recumbens
purpureo bibit ore nectar.

Vel sequentes (Ep. II. 1. 5. sqq.):

Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux,
post ingentia facta deorum in templa recepti,
dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
componunt, agros assignant, oppida condunt,
ploravere suis non respondere favorem
speratum meritis. (Cfr. Curtius VIII. 5.) Contra (Auguste)
Praesenti tibi maturos largimur honores,
jurandasque tuum per numen ponimus aras.

2) Drexler in Roscheri Lexico II 902 (art. Kaiserapotheose.)

ren gleichzeitigen und vorhergegangenen Erscheinungen in Verbindung bringen? Mit unglaublicher Frechheit verkehrte man jetzt die heiligsten Verhältnisse. Alexander und Demetrius herrschten als Götter auf Erden: da mussten schon *Zeus* und die übrigen Bewohner des Olymp sich begraben lassen .... *Ganz ähnlich wie Alexander bei seinen Enkomiasten, lässt Euhemerus den Jupiter siegreich die Welt durchziehen und aller Orten seine Herrschaft begründen.*» [1])

Sed dixerit quispiam, si concedatur Euhemeri librum Alexandri apotheosin spectasse, tamen vix fieri posse, ut summum Euhemeri consilium fuerit hoc modo divinos Cassandro acquirere a parte populi honores.

Primo aspectu mirum sane videtur hanc relationem intercedere inter Cassandrum, Alexandri domus acerrimum hostem, et Alexandrum, sed respectu historiae habito multa explicantur. [2])

---

1) Krahner p. 32. sq. Idem Kraner jure: «Auch in Hinsicht auf seine Wirkungen können wir in dem Buche nur eine *ephemere* Erscheinung erblicken.»

2) Droysen. I² p. 387: «die Meinung über ihn (Alexander), seine Thaten und seine Gründung veränderte sich, und während die früher dominirende makedonische Auffassung mehr und mehr erlahmte, gewann die hellenische wenigstens in den litterarischen, gebildeten, modischen Kreisen ein Uebergewicht, dem sich bald die *Folgeherrscher und ihre Höfe* nicht zu entziehen vermochten, oder sich beugten um die Gunst der öffentlichen Meinung in der Hellenenwelt nicht zu entbehren.

Non est magni momenti quod nullum inveniatur nomen sacerdotis vel templi Cassandri, neque enim quicquam de divinis honoribus Lysimachi notum erat, donec a° 1876 a Duchesnio inventus est in Pallena titulus:

ἐφ' ἱερέως τοῦ Λυσιμάχου (Revue Archéol. 1876 I. p. 106).

Jure Strack (Rh. Mus. 1900 p. 164): «Je mehr Zeugnisse für eine göttliche Verehrung des Lysimachos in den verschiedenen Theilen seines Reiches sich finden (Chalcidike ἐφ' ἱερέως τοῦ Λυσιμάχου, Dittenberger, Sylloge ² 196; Samothrake: βωμὸς βασιλέως Λυσιμάχου Εὐεργέτου Dittenberger ² 190; Priene: βωμὸς

Suspicio divinorum honorum etiam Cassandro tributorum majores acquirit vires, si evolvimus Agatharchidis fragmenta.

Agatharchides Cnidius, peripateticus, Heraclidae Lembi ἀναγνώστης, floruit circa medium saeculum secundum ante aeram nostram.

Duo scripsit opera historica: *Εὐρωπιακά* (Athen. VI. 272 d.) et *Ἀσιατικά* (Athen. IV. 155 c.) et opus geographicum *περὶ τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης* quinque libris.

Hujus operis librorum primi et quinti fragmenta inveniuntur apud Photium.[1])

Diodorus magnam libri sui tertii partem fere ad verbum ex Agatharchidis libro quinto sumpsit.[2])

Quidquid constituendum est de reliqua hujus libri quinti parte, certe descriptio insulae Palmarum[3]) miro modo consonat cum Euhemeri descriptione insulae Panchaiae (apud eundem Diodorum V 41 sqq.).

Οὗτος δὲ (sc. *ὁ τόπος*) *ὀνομάζεται μὲν Φοινικών ἔχει δὲ*

κτλ. ancient gr. inscr. III. 401), desto mehr gewinnt es den Anschein dass seine Verehrung officieller Art war und von ihm selbst eingerichtet ist.»

Inventa est inscriptio, in qua sermo est de Antigoni Gonatae Cnidi τεμένῳ et σηκῷ; ipse et uxor ejus deo Pani sociati sunt (Usener Rh. Mus. 1874 p. 25 sq. Kaibel Epigr. Graec. 781). In honorem Antigoni Dosonis celebrata fuerunt sacrificia (Plut. Arat. 45). (Cfr. Beurlier p. 45).

1) Photius Bibl. cod. 250 ed. Bekker 441 sqq. Car. Muellerus I. p. 111.

Susemihl p. 685 sqq.: Ausser den officiellen, von der ägyptischen Regierung veröffentlichten Reiseberichten benutzte er Kaufmannserzählungen und die Berichte und Angaben früherer Schriftsteller.

2) Susemihl p. 687: «Aus Photios Auszügen erhellt, dass was wir bei Diod. III. 12—49 lesen, fast lediglich aus dem 5 B wörtlich abgeschrieben ist. Es ist bezeichnend für Diodoros, dass er hier diese seine Quelle nicht nennt, wohl aber für den weit kürzeren voraufgehenden Abschnitt das Geschichtwerk des A. über Asien.»

3) Diod. III. c. 42.

πλῆθος τούτου τοῦ φυτοῦ πολύκαρπον καθ' ὑπερβολὴν καὶ πρὸς ἀπόλαυσιν καὶ τροφὴν διαφέρον.... Καὶ γὰρ ὕδατος οὐκ ὀλίγαι πηγαὶ καὶ λιβάδες ἐκπίπτουσιν ἐν αὐτῷ, ψυχρότητι χιόνος οὐδὲν λειπόμεναι· αὗται δὲ ἐφ' ἑκάτερον μέρος τὰ κατὰ τὴν γῆν χλοερὰ ποιοῦσι καὶ παντελῶς ἐπιτερπῆ.

Ἔστι δὲ καὶ βωμὸς ἐκ στερεοῦ λίθου παλαιὸς τοῖς χρόνοις, ἐπιγραφὴν ἔχων ἀρχαίοις γράμμασιν ἀγνώστοις.

Nonne Agatharchides ante oculos habuit Euhemeri librum? Ita, nisi omnia me fallunt.

Apud eundem Agatharchidem in libro primo (Geogr. Min. I. p. 118.), quaedam attentione nostra dignissima leguntur de Cassandro, quae Latine breviter reddam: «Ego vero a quo die fortuna tutorem corporis tui» — alloquitur Ptolemaeum VIII Soterem II. (cfr. Muell. Prol. LV.) — «quum juvenis admodum esses, totiusque regni constituit, ab illo statim magnum mihi laborem imposui. Quemnam? Ut iis, qui nonnisi voluptati tuae inservientes tecum, conversantur, repugnarem et indignarer, tuam tibi ante omnia non facultatem eripiens sed imperitiam, quo tantorum bonorum prudens fruaris non stultus. Hoc enim quaerebam patris habens benevolentiam, quae duratura sint spectantem, non *κόλακος εἰρωνείαν καιρῷ προσομιλοῦσαν. Οἶδα γὰρ πρεσβύτερος ὢν καὶ πολλῶν ἔμπειρος γεγονὼς πραγμάτων, διὰ τοὺς θωπεύειν ἐπιβεβλημένους τοὺς ἐν ταῖς ὑπεροχαῖς καὶ τὰς μεγίστας βασιλείας ἄρδην ἀνῃρημένας, τὴν Κασάνδρου τὴν Λυσιμάχου, τὴν Ἀλεξάνδρου τηλικαύτην οὖσαν, ὥστε μηδὲ σπέρμα καταλελεῖφθαι τοῦ γένους.* Sic Alexander armis invictus, *ἐν ταῖς ὁμιλίαις* fuit infirmus; laudatione enim se capi passus est, *καὶ Ζεὺς καλούμενος* non se subsannari sed honorari putabat *τῶν μὲν ἀδυνάτων ἐπιθυμῶν, τῆς δὲ φύσεως ἐπιλελησμένος.*»

Vidimus quantopere Agatharchidis illa insulae Palmarum descriptio, cum Euhemereo fragmento de insula Panchaia (Diod. V. 41. sqq.) conveniat; num

nimiae est audaciae si eum in iis quoque rebus, quae libro primo de Cassandro, aliunde ignotae, narrantur, ejusdem Euhemeri Sacram Historiam respexisse proponamus?[1])

Conjecturae fines nos egredi nolle, vix est quod moneamus; Horatii dicti memores et nos:

Si quid novisti rectius istis,
candidus imperti; si non, his utere mecum.

Hac disquisitione fere absoluta in manus nobis venit Gruppii, professoris Berolinensis, doctissimum opus, quod inscribitur: «Die Griechischen Culte und Mythen in ihren Beziehungen zu den orientalischen Religionen» (Leipzig 1887.); quo libro p. 16 sqq., eadem suspicio movetur, quam in hujus opusculi parte priore defendere ego conatus sum, sc. Jovem esse Alexandrum. Cl. viri verba hic describenda sunt:

«Dieselbe Unfähigkeit, die Irrationalität der Mythen, das eigentliche Problem, zu erklären, zeigt die zweite unter den antiken Arten der Mythendeutung, die historisch-politische. Mythen*deutung* ist mit der Behauptung, dass die Menschen Götter gewesen seien, zwar an sich ebenso wenig verbunden wie mit der ethischen

---

1) Ennius vertit Euhemerum et Ephicharmum (putant multi vero v. d. Pseudo-Eupicharmum esse), fuit, sicut et ipse Euhemerus, aulicus poeta et ducis M. Fulvii Nobilioris amicus (Cfr. Teuffel Geschichte der Römischen Litteratur [5] p. 100.).

Cic. Tusc. I. 2. 3: «Oratio Catonis, in qua objecit ut probrum M. Nobiliori quod is in provinciam poetas duxisset. Duxerat autem consul ille in Aetoliam, ut scimus Ennium.»

Estne hac in parte relatio inter auctorem Graecum et poetam Latinum?

Apud Curtium (VIII. 5.) Cleo vocatur (est ex Sicilia) «*nationis vitio adulator*»; respexeritne Curtius aut ejus auctor graecus Euhemerum *Messenium?*

Erklärung des Mythos; da aber die antike Schriftstellerei dieses historisirende Princip der Mythenerklärung nicht ohne die Hülfsannahme einer weitreichenden allegorischen Ausdrucksweise, also nicht ohne eigentliche Mythendeutung hat durchführen können, so müssen wir an dieser Stelle auch diejenigen antiken Systeme besprechen, welche die Begebenheiten der olympischen Welt zu irdischen Vorgängen machten. Dem allgemeinen Sprachgebrauch folgend bezeichnen wir diese Richtung als Euemerismus, weil die ἱερὰ ἀναγραφὴ des Messeniers historisch wo nicht der Ausgangspunkt, so doch eine wichtige Etappe der politisirenden Mythendeutung gewesen ist. *Euhemeros selbst war sehr weit von dem Anspruch entfernt, eine wissenschaftliche Erklärung des Mythos geben zu wollen und seine Schuld ist es wahrlich nicht, wenn die spätere Zeit dieselbe in seinem Werke gesucht.* Schon die Einkleidung seines Werkes lässt keinen Zweifel darüber, dass er ein Phantasiegebilde uns vorführen will. Wohl hat auch die wissenschaftliche Litteratur im Altertum es ebenso wenig als heut zu Tage verschmäht, abstracten Darlegungen durch die Form, in welche sie gekleidet wurden, Abwechselung zu verleihen, aber diese Einkleidungen stehen doch in erkennbarer Beziehung zu dem behandelten Stoff. Selbst die sich vom Realen am weitesten entfernenden Einkleidungsformen, die Göttergespräche der hermetischen Bücher, rechtfertigen sich als ein Costüm, das aus der ägyptischen Litteratur entlehnt ist. Die Insel Panchaia dagegen gehört der Welt der Phantasie an, wie Wolkenkukuksheim, und Alles, was der Dichter hier erfahren haben will, ist dadurch selbst als ein Spiel der Einbildungskraft gekennzeichnet.

Jede Träumerei aber, auch die scheinbar regelloseste, knüpft an reale Vorstellungen an; wie bei

dem Vögelstaat der Komödie, so *müssen wir in dem Götterstaat unseres Romanes das Dasein eines Anlasses oder eines Zweckes der Phantasie voraussetzen.* Diese sind wirklich bei unserem Dichter — denn als solcher muss er nun wohl bezeichnet werden — so deutlich wie möglich gegeben. Eben das, was Euemeros in seinem phantastischen Götterstaat erzählte, *dass irdische Menschen zu Göttern erhoben wurden, das geschah in der Welt wirklich, für die unser Roman geschrieben war. Die gottgewordenen Menschen des Euemeros sind Diadochenkönige.* Ist es schwer, das concrete Urbild jenes Zeus zu erraten, der in Griechenland geboren, jugendlich zu den Barbaren auszog, sich überall als Gott begrüssen liess, und der im fernen, fernen Orient begraben liegt? Nur muss man nicht glauben, dass Euemeros auch im übrigen die Grossen der Gegenwart eingewebt oder gar persiflirt habe. Der feine Humor, mit welchem die moderne hellenistische Monarchie in den Götterstaat hineinprojicirt ist, wäre durch eine pedantische Ausmalung des Einzelnen nur vergröbert worden. Eine Persiflage der neuen Einrichtungen war ja schon durch die im Buche selbst hervorgehobenen Beziehungen des Verfassers zu Kassandros ausgeschlossen: die Ueberlegenheit, mit welcher Euemeros wie den alt-hellenischen Cultusformen so auch der neuen der Apotheose gegenübersteht, äussert sich nicht in der Form der derben Satire, *sondern als feine Ironie.* Dass nun ein solcher Roman, den man vielleicht am ersten mit einigen Schriften Lukians vergleichen könnte, für ernst genommen wurde, erscheint uns zwar wunderbar, ist aber in der antiken Litteratur eine keineswegs vereinzelte Erscheinung. Sicher reicht das Missverständnis in frühe Zeit hinauf; beweist auch der Tadel, welchen Kallimachos gegen den Gottesleugner ausspricht, nichts dafür, dass er in der ‚heiligen Inschift'

ein wissenschaftliches Werk sah, so hielt es doch schon Eratosthenes für nötig gegen die Annahme zu protestiren, dass es ein reales Panchaia gebe. Ebenso muss sich der Euemerismus in kurzer Zeit zur wissenschaftlichen Hypothese entwickelt haben: der Boden war vorbereitet, da schon lange vorher die Heroenerzählungen, welche in der griechischen Mythologie mit der Göttersage so eng zusammenhängen, pragmatisirt worden waren. Die Ueberlieferung reicht nicht aus, zu bestimmen, ob die zahlreichen Nachahmungen der ἱερὰ ἀναγραφή schon mit dem ernstgemeinten Anspruch einer wissenschaftlichen Untersuchung auftreten.»

Primus Gruppius convenientiam Sacram Historiam inter et Historiam Alexandri Diadochorumque animadvertit.

Hac in parte nos plane facere cum Gruppio non est quod moneamus. Nobis vero nulla ironia subesse videtur. Qua in parte ex animo adstipulamur viro doctissimo Ziehen, Gruppium his verbis oppugnanti: «In den erhaltenen Fragmenten satirischen Ton und satirische Beziehungen nachzuweisen, wird schwerlich gelingen. Das Vorhandensein inneren Beziehungen zwischen den Zeitereignissen und der Schriftstellerei des Euhemerus ist unzweifelhaft; doch so weit ich sehe, spricht alles dafür, dass er sie in durchaus ernstgemeinter Weise, nicht mit satirischer Tendenz in seiner Heiligen Urkunde verarbeitete.» [1]

---

1) Ziehen: Zur Geschichte der antiken Mythendeutung (Ber. der fr. d. Hochstifte zu Frankfurt 1890 p. 436).

QUAESTIO III

De auctoribus, apud quos fragmenta Euhemerea servantur, vel testimonia de Euhemero habentur.

A. Auctores Profani.

Servata sunt Euhemerea apud plurimos auctores, quorum auctoritas non aeque gravis est, quique non omnes eodem modo de eo judicant, alii enim eum laudant, alii contra severissime carpunt.

Jam initio Sacra Historia multos habuit adversarios, multos contra et fautores.

In universum minus recta videntur esse, quae habet Némethy:[1] «Offendit homines opinionum a majoribus traditarum tenaces, qui religionis metum nondum abjecerunt, audacia illa, qua noster, deos maximos homines fuisse, non optimos, confidentissime contendit. Quorum in numero erat Callimachus, qui non solum Euhemerum senem mendacem appellavit sed etiam in Hymno in Jovem vss. 8—9:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο· σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί,

hanc doctrinam oblique perstrinxisse videtur. Neminem enim offenderunt ineptae Cretensium fabulae, antequam Euhemerus eas callidissime in impiorum usum detorsit.»

Cur quaeso Callimachus et Eratosthenes Alexandrini, qui propriis oculis Alexandrum Ptolemaeosque

---

1) Némethy p. 7.

deorum cultu affectos esse videbant, Euhemeri systemate offenderentur?

Postea certe religiosissimus homo, Diodorus, non solum non offensus est, sed et Euhemerea ut veras historias accepisse videtur.

Deinde minime verum est, Euhemerum confidentissime contendisse: «deos maximos homines fuisse, non optimos.» Juppiter enim Euhemereus magnus est dux et rex, qui «hominibus leges, mores, frumentaque paravit, multaque alia bona fecit.» [1])

Sed alia est causa cur Callimachus, Eratosthenes aliique in Euhemerum ira exarserint.

Etenim adversarii in primis sunt geographi, deinde vero etiam historici.

Quid mirum? Alexandri enim expeditio geographica studia, quae huc usque Graecis prorsus ignota, vel fabulis involuta tradita erant, excitaverat; in iis autem, quae de regionibus nuper demum cognitis narrantur, verum dignoscere summopere cupïebant viri eruditi; Euhemeri vero liber multos in describendo orbe terrarum consumptos labores destruere et geographicae veritati valde obstare videbatur.

Jam geographi aut non intellexerunt aut intelligere noluerunt, Panchaiam insulam inventam fuisse ab Euhemero, ut in ficta narratione haberet, quo Jovis facta referret. Nec magis vulgo, quod Euhemeri librum avide legisse videtur, hoc perspectum fuisse credibile est.

Quae cum ita sunt, Callimachi, Eratosthenis, Polybii, Strabonis [2]), quorum verba in primis *geo-*

1) De sola Venere flagitia tantum narrantur, cujus rei supra rationem dare conati sumus.

2) Callimachus apud Ps. Plut. De plac. phil. I. 7. p. 880.
Eratosthenes apud Strab. I. c. 3. p. 47.
Polybius apud Strab. II. c. 4. p. 104.
Strabo II. c. 3 p. 102. VII. c. 3. p. 299.

graphiam [1]) spectant, in universa Euhemeri doctrina impugnanda, auctoritas non magni est habenda.

Sic Polybius l. c. eum opponit Pytheae: *Πολὺ δέ φησι βέλτιον τῷ Μεσσηνίῳ πιστεύειν ἢ τούτῳ* (sc. Pytheae). *Ὁ μέντοι γε εἰς μίαν χώραν τὴν Παγχαίαν λέγει πλεῦσαι· ὁ δὲ καὶ μέχρι τῶν τοῦ κόσμου περάτων κατωπτευκέναι τὴν προσάρκτιον τῆς Εὐρώπης πᾶσαν, ἣν οὐδ' ἂν τῷ Ἑρμῇ πιστεύσαι τις λέγοντι. Ἐρατοσθένη δὲ τὸν μὲν Εὐήμερον Βεργαῖον καλεῖν Πυθέᾳ δὲ πιστεύειν, καὶ ταῦτα μηδὲ Δικαιάρχου πιστεύσαντος·* illi ergo Euhemerus, si cum Pythea eum comparaverit, verax est: contra Erastothenes *Εὐήμερον Βεργαῖον καλεῖ Πυθέᾳ δὲ πιστεύει.* Strabo, Posidonium reprehendens, scribit: *Οὐ πολὺ οὖν ἀπολείπεται ταῦτα τῶν Πυθέου καὶ Εὐημέρου καὶ Ἀντιφάνου ψευσμάτων.*

Euhemerus igitur a Polybio, Strabone, Eratosthene ponitur juxta Pytheam, Posidonium et Antiphanem, qui ficta narratione usi, scripserant de rebus *geographicis.*

Haec luculenter tandem ostendit Strabo Posidonium reprehendens: [2]) *ἐκείνοις μὲν συγγνώμη, τοῦτ' αὐτὸ ἐπιτηδεύουσιν, ὥσπερ θαυματοποιοῖς.*

1) Quaestionem de insula Panchaia § sequenti tractare nobis in animo est.

Jure Droysen. I [2] 396:

«Wenn Eratosthenes daran ging die Grundlagen einer wissenschaftlichen Geographie zu entwickeln, so hatte er sich mit dem, was die Geschichtschreiber Alexanders an geographischen und ethnographischen Materialien überliefert hatten, auseinanderzusetzen; und aus seinen Fragmenten sieht man, in welcher Art er es gethan, wie er namentlich *ἐκ τοῦ μὴ ὁμολογεῖν ἀλλήλοις τοὺς συγγραφέας* (Strabo XV p. 688) die geringe Brauchbarkeit ihrer geographischen und sonstigen Nachrichten darlegt.»

2) Strabo II c. 3. p. 102.

De Pythea jam p. 11. locuti sumus cfr. de eo Rohde p. 176.

De Antiphane pauca nota sunt, Rohde p. 222: «Es scheint allerdings, als ob auch Antiphanes speciell lügenhafte *Reiseberichte* verfasst habe.»

Posidonius Stoicus Ciceronis magister in insula Rhodo, est

De Euhemero diu altum est silentium; illi, qui aetate illi propiores sunt nulla — quod maxime dolendum est — nobis servaverunt fragmenta.

Opus tamen ejus celebre gratissimumque multis fuisse, patet ex eo, quod Ennius id in latinum vertit sermonem.

Quum Euhemero non defuerint detractores, tamen habuit et laudatores.

Inter eos, qui Euhemerum laudant primum locum tenet Diodorus Siculus.

Hic Euhemeri Panchaiam insulam esse in Oceano credidisse, immo hujus descriptionem ad literam accepisse, videtur.

L. V. c. 41—46. fuse eam describit, Euhemerumque saepe ad literam citat, Euhemeri nomen hac in parte neglectum habetur apud Eusebium, qui dicit *Ὁ Διόδωρος καὶ ἐν τῇ ἕκτῃ.* Liber sextus enim, quo Diodorus Euhemeri de diis opiniones recenset, periit, nisi quod lacera quaedam apud Eusebium inveniuntur, e quibus discimus avi Urani, patris Saturni et tandem Jovis ipsius res gestas. [1])

De Diodori fide recte judicat Némethy:

«Qui, qua erat eruditione, tam accuratam praebet Historiae Sacrae notionem, ut equidem nullam videam subesse causam, cur ei ipsum Euhemeri librum notum fuisse negemus, praesertim cum primi sex libri, quo studio huic fabularum explicandarum rationi addictus fuerit, ubique luculenter doceant neque alium inveniamus auctorem, quem tam religiose exscripse-

---

auctor notissimus, scripsit multa philosophiam spectantia opera, multa et historiam, geographiamque i. a. *Ἱστορίας* et *περὶ Ὠκεανοῦ*. Cfr. Ueberweg Heinze pp. 299. 303: «Er hatte die umfangreichste Kenntnisse auf dem Gebiete der Geographie, Geschichte, Geometrie, Astronomie.» Fragmenta collegit J. Bake. Lugd. Bat. 1810 et Mueller Fragm. Hist. Gr. III. 245 sqq.

1) De Diodori fragmentis sequenti § quaedam proferemus

rit. Certe nemo eorum, qui huc usque de fontibus Diodori tam multa exposuerunt, ut ab eo non ipsos auctores in libris commemoratos lectos esse demonstrarent, alium auctorem eruere potuit, cui Euhemerea in l. V. et VI. probabiliter tribuenda essent. Ceterum quoquo modo res se habet, hoc unum, quod ad nostram quaestionem maximi est momenti, fidem Diodori in his rebus esse integram, pro certo accipere licet.»

Plutarchus [1]) vehementissime invehitur in Euhemerum, iniquus erga Messenium esse videtur, servavit vero quaedam, quae ad Euhemerum cognoscendum minime spernenda videntur.

Aelianus [2]) Euhemerum in atheorum sectam detrudit, ejus nomen habetur juxta Diogenem, Hipponem, Diagoram, Sosium et Epicurum.

Pseudo-Plutarchus [3]) et Sextus Empiricus (Adv. Math. IX. 50) [4]) sua ex eodem fonte diversis rivulis hausisse videntur. Apud utrumque iidem versus Callimachi et Critiae leguntur, eadem nomina Euhemerus, Diagoras, Theodorus occurrunt.

Athenaeus [5]) pauca e tertio Euhemeri libro servavit, quae licet inepta videantur Némethyo, tamen non nihil faciunt ad probandum, Euhemeri consilium non id, quod volunt viri docti, fuisse.

Euhemerus etiam explicavit quaedam proverbia, uti est illud: *Ἄτλας τὸν οὐρανὸν ὑπεδέξω*, quae ultima vox ab illo addita fuisse narratur. [6]) Et aliud: *Sus Minervam*, Festus s. v: «Quam rem in medio, quod ajunt,

1) Plut. De Is. et Osir. 23.
2) Aelianus V. H. II. 31.
3) Pseudo-Plut. Plac. Phil. 7.
4) Sextus Emp. l. c. et IX. 34. IX. 17.
5) Athen. IX p. 658.
6) Vide Diogeniani Proverb. popul. cent. II. 67 cum additamentis codicis Bodleiani (Cfr. Paroemiographi Graeci edd. Leutsch et Schneidewin I. p. 207.)

positam Varro et Euhemerus ineptiis mythis involvere maluerunt.»[1]

Varro antiquitatum scrutator et Hyginus,[2] cujus opera astrologica nota sunt, Euhemeri librum cognoverunt; certe Varro Ennii versionem legit.

Tandem Euhemeri nomen occurrit in Etym. Magno s. v. *Βροτός*.[3]

Laurentii Lydi fragmentum ita lacerum est ut nihil certi statui possit.[4]

Josephus[5] Euhemerum fert in catalogum eorum, qui de Judaeis scripserunt.

Plinius[6] auctores, qui de pyramidibus egerunt, commemorans Euhemerum citat.

Columella[7] denique de origine apum disserens etiam de nostro mentionem facit.

Euhemeri nomen apud Romanos inclaruit per Ennium.

Cicero, de quo non liquet utrum ipsum Euhemerum inspexerit necne, haec habet (Nat. Deor. I c. 42. 119): «*Quid? qui aut fortes aut claros aut potentes viros tradunt post mortem ad deos pervenisse, eosque esse ipsos quos nos colere,* precari, venerarique *solemus; nonne expertes sunt religionum omnium? quae ratio maxime tractata ab Euhemero est: quem noster et interpretatus et secutus est praeter ceteros Ennius.* Eandem rem Varro[8] et Lactantius[9] tradunt.

1) *Jure ut videtur* Némethy: «intellegendum est de fabula Euhemerea a Varrone explicata.»

2) *Hyginus* Poet. Astron. II. 12 et 42.

3) *Etym. Magn.* p. 215. 36.

4) *Laur.* Lydi De mensibus fragm. Caseolinum. (Fr. X. Németh).

5) *Josephus contra* Apionem I. 23.

6) *Plinius* N. H. XXXVI. 12.

7) *Columella* IX. c. 2.

8) *Varro* De R. R. III. c. 48. de voce quadam, quae posteris *ignota erat (gluma)*, scribit: «id apud Ennium solum scriptum *scio esse* in Euhemeri libris versis.»

9) Lactantius Div. Inst. I. c. 14.

Auctoribus raptim recensitis, tractanda vel potius investiganda est difficillima res, quam me solvere posse despero, etsi quaedam argumenta non levia habere mihi videor, ob quae a reliquis viris doctis discedendum esse puto.

Juxta plerosque Ennius versibus inclusit suum opus. Alii, uti Ilberg et ten Brink, putant, eum tetrametris trochaicis, alii uti Krahner, [1]) de Block, [2]) Némethy [3]) hexametris usum fuisse.

Levissimis vel ut aperte dicam nullis nixus argumentis haec scribit Krahner: «Man würde sehr irren wenn man aus Lactanz' sacra Historia auf ursprüngliche prosaische Form des Ennianischen Buches schliessen wollte . . . Griechische Studien hatten den genialen Dichter (Ennius) über die Nothwendigkeit hexametischer Form für epische Stoffe aufgeklärt..... *Der Stoff selbst* forderte ihn auch hier zu epischer Behandlung auf; oder wollte man sich den Ennius lieber als gelehrten Sammler, wie die späteren Litteraten, Grammatiker und Mythographen denken?»

Cur, quaeso, credamus, ipsam materiem impulisse Ennium ut in enarranda Sacra Historia versibus uteretur epicis quum tamen Euhemerus pedestri oratione scripserit? Ratio me fugit.

Némethy, [4]) uti mos ejus est, seriora protulit argumenta. Non me movent tamen quae scribit:

1. «nonne mirum esset, transisse in poesin Romanam, Terram turiferam, quam Lucret. II. 417. Verg.

1) Krahner p. 40.

2) de Block p. 10.

3) Némethy p. 18 sqq.

Contra K. L. Blum Einleitung in Roms alte Geschichte p. 100: «Sein (Ennius') Werk ist wahrscheinlich das erste griechische, was in *ungebundener* Rede übersetzt unter die Römer kam und auch auf diese nicht minder seinen Einfluss äusserte als auf die Griechen.»

4) Némethy p. 19.

Georg. II. 139 IV. 379. Tibull. III. 2. 23. et praecipue Ovidius Met. X. 307—319. commemorant, nisi poetae illi descriptionem Panchaiae in opere quodam poetico, unde colores sumere possent, legissent? Nam apud Graecos, quippe qui librum Euhemeri, oratione soluta scriptum, imitandum sibi non proposuerint, Panchaiae nulla est mentio.»

Quid? Nonne Romani poetae, etiamsi pedestri oratione descripta sit ab Ennio regionis fertilitas stricta oratione hanc descriptionem imitari potuerint?

Loquitur Tibullus l. c. de pingui Assyria, necessene fuit eum haec sumpsisse ex aliquo carmine, nonne sufficit eum scire fertilissimam eam esse odoribus?

Praeterea ne ex Ennio quidem sua de Panchaia habere videntur poetae Romani.

Denique vocem Panchaiam de trivio accipere poterant Romani. Res ex Plinio probari potest. In Natur. Hist. legitur: «Auri metalla et flaturam Cadmus Phoenix ad Pangaeum montem, uti alii, Thoas aut Aeacus in Panchaia (invenerunt.)» [1])

Quae non, cum Némethyo, sic explicanda videntur, ut hic Plinius cogitasse putetur de iis quae in Sacra Historia narrantur: «si quis quid novi invenerat, veniebat ad Jovem, ut inventum ei ostenderet.» Parum enim conveniunt cum eo, quod Diodorus narrat: *Ἔχει δὲ ἡ χώρα μέταλλα δαψιλῆ χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου καὶ χαλκοῦ καὶ καττιτέρου καὶ σιδήρου*, quae satis probant secundum Euhemerum aurum non aliunde a Cadmo ad Jovem esse allatum, neque asportatum ab eodem Cadmo ex Panchaia sequitur enim: *καὶ τούτων οὐδὲν ἔξεστιν ἐξενεγκεῖν ἐκ τῆς νήσου.* Nititur tota adnotatio Pliniana vocum *Πάγγαιον* et *Παγχαία,* quae fere iisdem literis scribuntur et eodem prope modo pronuntiantur, confusione. Ex hac re tamen apparet notissimam fuisse

1) Plinius N. H. VII. 56.

Panchaiam quum omnibus noto et ditissimo metallis et auro Pangaeo monte permutaretur.[1])

2. Aliud argumentum profert idem auctor: «sciendum est, versibus composuisse eum etiam physicam de diis doctrinam in Epicharmo, cui humanam deorum originem, utramque fabularum explicandarum rationem Romanis notam facere cupiens in Euhemero ita opposuit, ut arcto vinculo haec duo opera inter se conjuncta fuisse facile appareat.»

Habeo quod respondeam: *1*⁰. non intercedit istud arctum vinculum, nam Epicharmus est revera carmen theologicum,[2]) uti reliquiae probant, quum aliter res sese habeat in Sacra Historia, uti ostendere conati sumus.

*2*⁰. Exemplar Graecum Enniani Euhemeri pedestri oratione scriptum est, quum contra Epicharmi exemplar versibus compositum fuit.

Hujus rei habemus testem antiquum, Jamblichum[3]) dico, qui in Pythagorica vita: *'Επίχαρμον ..... εἰς μέτρον δ' ἐνεῖναι τὰς διανοίας τῶν ἀνδρῶν μετὰ παιδιᾶς κρύφα ἐκφέροντα τὰ Πυθαγόρου δόγματα.*

3. Aliud argumentum Némethyo est ex silentio

---

1) Clemens Alex. L. I. p. 307 B (ed. Sylburgius) *Κάδμος μέταλλα χρυσοῦ τὰ περὶ τὸ Πάγκαιον ἐπενόησεν ὄρος.*

2) Istic est is Jupiter quem dico, quem Graeci vocant
aerem; qui ventus est et nubes, imber postea
atque ex imbre frigus, tenuis post fit aer denuo,
haece propter Jupiter sunt ista, quae dico tibi,
quia mortalis aeque turbas beluasque omnis juvat.

Baehrens Fragmenta poetarum Romanorum. Epicharmus fr. 507. Cfr. fr. 508 (Varro V. 68): «Hinc Epicharmus Enni «Proserpinam» quoque appellat (Lunam), quod solet esse sub terris.»

3) Jamblichus De Pythagorica vita XXXVI. 266 (ed. Westermann). Cfr. §§ 166. 241. Quaestio utrum graecum opus inter Pseudo-Epicharmea sit ponendum, hic non facit. Susemihl Gesch. der Gr. Litt. i. d. Al. Z. I. 316 (32), 847, 849 (79), 876, id credit, cui obloquitur Teuffel Gesch. d. R. L. [5] I. 103.

Quidquid est certe opus versibus conscriptum fuit.

grammaticorum: «de Ennio librorum oratione soluta scriptorum auctore nihil traditum est, quamquam si pater poeseos Romanae etiam hoc litterarum genus attigisset, certe magna cum cura investigassent grammatici, qualem se in insolito opere praestitisset quantumque ab aequali suo Catone differret»

Argumenta ex silentio semper periculi plena sunt.

Nonne mirum est grammaticos silere de auctore libri, qui inscribitur «Rhetorica ad Herennium», quum tamen ipse Cicero, ut omnes concedunt multa huic debeat in suo «De Inventione» opere. Quid de Plauti comoediis, quid de Epicharmo?

Uti ex alio ordine exemplum sumam; Athenagorae nomen siletur in Eusebii, Hieronymi eorumque successorum catalogo. [1])

Praeterea nonne fieri potest ut opera grammaticorum, in quibus haec res tractata sit, temporum injuria perierint?

4. Quod de Columella [2]) (p. 19), qui Euhemerum *poetam* vocat, sumpsit argumentum: «*poetam* appellat, quod intelligere nullo modo possemus, nisi ei Graecum Historiae Sacrae exemplar ignoranti tantum Ennii librum versibus compositum fuisse notum adsumeremus», ipse postea rejecit, [3]) faciens cum Crusio [4]); de hoc argumento agendum erit quum pervenerimus ad fragmenta.

5. A verbis apud Nonium servatis (l. VII. p. 216.)

« Cum suo obsidio magnus Titanum premebat. [5])

praestat abstinere manus; etenim *1*⁰. corrupta sunt, uti omnes concedunt; *2*⁰. nullus Ennii liber indi-

1) Bardenhewer Patrologie p. 105.
2) Columella De re rustica IX. c. 2.
3) Némethy Quaestiunculae Euh. p. 11.
4) Crusius Ad scriptores Latinos exegetica. Rh. M. a. 1892. p. 63.
5) Pro *suo* et *Titanum* Junius *saevo* et *Titana*, Krahner *sis* pro *suo*, Merula *Titanu*, Némethy *sos* et *Titanus*.

catur; *3*⁰. versus huic non dissimilis ad Annales est referendus:

«Juppiter, ut muro fretus magis quamde manu sua,» uti Festus 261 adnotat: «quamde pro quam Ennius in *primo.*»

*4*⁰. a Vahleno, Muellero, Baehrensio inseruntur Annalibus.

De hisce etiam dicendum est quod de illis (late Saturnia tellus), (Saturnus quem Caelus genuit), (Baehr. Fragm. Poet. Rom. Enn.) habet Némethy: «tutius est ea in *incertis* ponere reliquiis.»

Difficilis est quaestio qua fide Ennius Euhemerum verterit; haec res in primis ex Lactantio, apud quem Ennii fragmenta servata sunt, dijudicanda est.

Infra videbimus Ennium in quibusdam a Diodoro discrepare.

Hic vero notetur Ennium [1]) quaedam habere, quae vix invenire potuit in Euhemero, ut est illud: «(Saturnus) vix in Italia locum, in quo *lateret* invenit,» quod etymologiam *Latii* continere videtur; item etymologiam latinam sapit «*Curetes* filii sui *curaverunt.*» [2])

6. Apud auctores ecclesiasticos Ennius pedestri oratione loquitur; immo Lactantius Ennii Historiam Sacram *poetarum* operibus opponit, quod — quum omnino

---

1) Ennius apud Lact. Div. Inst. I. c. 11. Cfr. Verg. Aen. VIII. 322-23:

(Saturnus) legesque dedit *Latiumque* vocari
maluit, his quoniam *latuisset* tutus in oris.

Ovid. Fast. I. 238. Arnobius Adv. Gentes IV. 24. Min. Felix. Oct. c. 21.

Jure hoc Némethy eruit ex Ciceronis verbis: «quem et interpretatus *et secutus est* praeter ceteros Ennius.» (N. D. I. 42. 119.)

Hoc Teuffelo (Gesch. d. R. L. I. ⁵ 103. 6.) videtur: «Euhemerus sive Sacra Historia lateinische *Bearbeitung* der *l. d.* mit Uebertragung dieses abenteuerliches System *auch auf die italischen* Götter.«

2) Lactantius Div. Inst. I. c. 11.

fieri nequeat, ut Lactantius nesciverit Ennium ceteroquin poetam esse — illum facturum fuisse nemo mihi persuadebit, nisi revera Ennius illud, quod spectat opus Lactantius, prosa oratione scripsisset.

Allegatis enim ad literam Ovidii,[1]) Orphei,[2]) Vergilii[3]) versibus pergit Lactantius: «Nunc, quoniam ab iis, quae rettuli aliquantum Sacra Historia dissentit, aperiamus ea, quae veris litteris continentur, ne *poetarum* ineptias in accusandis religionibus sequi ac probare videamur. Haec *Enni* verba sunt.»[4])

Sed objici potest Lactantium non Ennium ipsum inspexisse, sed sive fragmenta commentum fuisse, sive «Euhemerum Ennianum posterius a nescio quo in orationem solutam conversum in suum usum convertisse» (Némethy p. 24.).

Primam objectionis partem — Lactantium fragmenta commentum fuisse — in fine hujus § tractabimus.

Alteri jam haec respondemus:

1⁰. Lactantius saepe dicit se ipsius Ennii verba laudare. Exempla sint: «Ennius inquit»,[5]) «Ennius cujus haec sunt verba»,[6]) «Eadem historia, quae dicit»,[7]) «Ennius ad ultimum sic ait»,[8]) «Haec Ennii verba sunt»,[9]) «Haec infert Ennius».[10]) Auctori vero, qui in reliquis auctoribus, qui nobis supersunt et quos in examen vocare possumus, se fide dignum esse ostendit, etiam

1) Ovidius Fasti I. 233 sq. I. 239. (Lactantius Div. Inst. I. 13. 6—7.)

2) Orpheus frg. 243. Cfr. Lobeck Aglaoph. I. 510 (ib. 11).

3) Vergilius Aen. VIII. 321 ssq. (ib. 9). VIII. 324. VI. 793 (ib. 12. 13). Georg. II. 538 (ib. 12).

4) Lactantius Div. Inst. I. 14.

5) ib. c. 11.

6) ib. c. 11.

7) ib. c. 11.

8) ib. c. 11.

9) ib. c. 14.

10) ib. c. 14.

quum eos, qui nobis non supersunt alleget, non temere fides est deroganda.

Qua fide Lactantius antiquorum auctorum verba soleat referre paucis demonstrabo exemplis e Cicerone allegatis. Ciceronem sexcenties expilavit Lactantius, ut omnigenas probet res, mutationes vero in magno volumine, quod «Divinarum Institutionum libri septem» inscribitur, etiam in longissimis fragmentis, rarissimae sunt.

Limberg,[1]) de hac re specialem instituens quaestionem, hosce tantum eruere potuit locos.

Lactantius.	**Cicero.**
Div. Inst. I. 9. 3. ferro *ac* veribus.	Pro Marc. f. *et* v.
I. 17. 2. commenticios *ac* fictos.	Nat. Deor. II. 28. c. *et* f.
II. 5. 8. quae cum *in* sideribus *esse* videamus.	Nat. Deor. II. 21. *inesse.*
IV. 28. 5. his enim *verbis* omnibus inest.	Nat. Deor. II. 28. *in* verbis.
III. 29. 3. magnam esse *fortunae* vim.	De Off. II. 6. magnam vim esse in fortuna.
VI. 24. 20. *orbis terrae.*	Verr. V. 14. terrarum orbis.
I. 6. 2. *in* Aegyptum profugisse.	Nat. Deor. III. 22. Aegyptum profugisse.

Has mutationes — etiam si a nobis concederetur, omnibus his in locis, cum Ciceronianos tum Lactantianos codices, integros esse — rarissimas esse et fere solas praepositiones spectare, nemo infitiabitur.

2⁰. Neque hujus auctoris, quem adhibitum esse a Lactantio contendunt, neque hujus versionis ullum in literis habetur vestigium.

---

1) Limberg: Quo jure Lactantius appelletur Cicero Christianus p. 4 sq.

3°. Fac, talem extitisse auctorem, nonne mirum est, si tot tantaque vocabula et locutiones antiqua et vere Enniana, intacta reliquerit, quae nunc in fragmentis habeantur?

Haec adesse sequentia exempla confirment:

1°. Repetitio pronominum.

Lactantius.	**Ennius** (ed. Baehrens).
I. c. 13. *is id* regnum.	fr. 38. postquam consistit fluvius, *qui* est omnibus princeps, — *qui* sunt Italia.
c. 13. cum fratribus *suis sibi* instituit.	fr. 507. *istic* est *is* Juppiter *quem* dico, *quem* Graeci.
c. 14. concessit *ei* ut *is* regnaret.	fr. 507. *haece* propter Jupiter sunt *ista,* quae dico tibi.
c. 14. si *quid* natum esset ne *quid* educaret.	quid *hoc hic* clamoris, quid *hoc hic* tumulti est.
c. 14. filius *qui* — *eum* necaverunt.	
c. 14. consedisse *illi* aquilam in capite *ei* regnum portendisse.	
c. 11. *eum* curaverunt — decoraveruntque *eum.*	

2°. Ibi et ubi sensu temporali.

c. 14. *Ibi* Vesta mater.	fr. 35. haec effatus; *ibique* latrones dicta facessunt.
c. 14. *ibi* Titan.	fr. 42. indotuetur *ubi* lupus femina.
c. 14. *ibi* Glaucam.	fr. 204. ast occasus *ubi* tempusve audere repressit.
c. 11. *ubi* Juppiter.	fr. 474. namque is non bene volt, *ibi* qui falso criminat.
	Voce sua nictit ululatque *ibi* acute.

3⁰. Abundantia.

c. 14: deinde posterius. post haec deinde.	fr. 8. postinde venit divinitus.
Jovem clam se abscondunt. clanculum abscondere. ibique in eo monte.	fr. 313. exin per terras postquam celerissimus rumor.

4⁰. Mira verba.

c. 14. ut de regno ne concedat fratri.	
c. 14. in conspectum dedere.	fr. 28. nec sese dedit in conspectum.
c. 13. muro circumegit.	= circumdare.
c. 11. vitam commutare.	= mori.
c. 11. caelum nomen indidit.	Andromachae nomen qui indidit, recte indidit.
c. 11. aetate pessumacta.	Plaut. Most. V. 2. 49: Ego istum pro suis factis pessimis pessum premam.

5⁰. Voces obsoletae.

c. 14. virile *secus* (ex conj. Ném. virile sexus Cod. Goth).	Abundant apud Ennium voces quae postea non amplius in usu sunt.
c. 11. secus mare.	fr. 28. exim compellare pater.
c. 13. quamquam sit.	fr. 55. exin candida se radiis dedit.
c. 13. exim.	fr. 111. exin Tarquinium.
	fr. 169. exim referunt.

6°. Alliteratio.

c. 14. *C*uretes *c*uraverunt de*c*oraveruntque.

c. 14. *s*educit *s*ecum.

c. 14. Id ejus *r*ei causa fecit, uti ad suos natos *r*egnum *r*ediret.

fr. 55. *c*um *c*ura magna *c*urantes, tum *c*upientes.

fr. 63. accipe daque *f*idem *f*oedusque *f*eri bene *f*irmum.

fr. 65. o *T*i*t*e *t*u*t*e *T*a*t*i *t*ibi *t*an*t*a *t*iranne *t*ulis*t*i.

fr. 462. Africa *t*erribili *t*remi*t* horrida *t*erra *t*umul*t*u.

fr. 146. *r*edit *r*egique *r*efer*t* *r*em.

7°. Etymologiae Latinae.

c. 14. Curetes *curaverunt.*

c. 14. (Latium) in quo *lateret.*

fr. 254. isque Hellespo*nto pontem* contendit in alto.

8°. Voces Graecae et explicationes vocum Graecarum.

c. 14. *Pluton* latine est *Dispiter.*

c. 14. *ZAN KPONOY* id est latine *Juppiter Saturni.*

fr. *Musas* quas Grai memorant nos *Casmenarum.*

fr. 548. «Daedalam» dictam esse apud Ennium Minervam facile est intellegere, cum graece *δαιδάλλειν* significet variare.

9°. Mirae dictiones.

c. 11. Ut insulis omnibus et quae secus mare loca essent, omnibus regnaret.

Fere singulis paginis mira dicta habentur.

10°. Homoeoteleuta.

c. 11. ven*isse*. — vic*isse*, parentes exem*isse*, patri regnum reddid*isse*.

fr. 207. optima caelico-l*um*, Saturni*a*, magn*a* dea-r*um*.

fr. 246. nec cum capt*a* c*a*p*i*, nec, cum combust*a* cremar*i*.

11°. Repetitio verborum et substantivorum.

c. 11. uti Saturnus *reg-naret*, concessit ei ut *is reg-naret*.

(Paucissimis verbis ter regnaret bis regnum).

fr. 315. Juppiter *risit riserunt* omnes *risu*.

fr. 17. *dia, divom* fata docet, *divinum* ut pectus haberet.

Conclusio: Ubi Lactantius dicit se Ennium ipsum citare (oratione recta) Ennii verba nobis servavit; ubi vero id non affirmat (oratione indirecta) quaedam voces mutat, immo aliquando addidit quasdam res, quas non in Ennio invenit.

Clarior ut haec res fiat juvat utriusque ordinis exemplum indicare, comparetur Lact. Div. Inst. I. c. 11. cum I. c. 22.

Ennius ergo prosa oratione scripsit suam Sacram Historiam.

B. Auctores Ecclesiastici.

Postquam locuti sumus de auctoribus profanis, qui Euhemeri fragmenta servaverunt, vel apud quos ejus nomen recurrit, hic quaedam dicenda sunt de auctoribus ecclesiasticis, quibus Euhemeri operis notitiam ex parte debemus.

Patres Scriptoresque Ecclesiasticos saepius quaestionem de gentium religionum origine agitare, quid mirum?

In universum triplicem allegant causam deorum cultus.

Ita Lactantius: «Docui religiones deorum triplici modo vanas esse: uno, quod simulacra ista, quae coluntur, *effigies* sint *hominum mortuorum*, altero, quod ipsae imagines sacrae omni sensu careant, quoniam *terra sint*, tertio, quod *spiritus* mortiferis eos (homines) illecebris et erroribus perdant.» [1])

Ratione habita erroris tunc temporis maxime grassantis nunc hanc, nunc vero istam vel illam allegant.

Sic Tertullianus saepe causam quaerit in daemonum fraude et operatione: «Cum ergo utraque pars concurrit in confessionem, deos esse negans, agnoscite unum genus esse, id est daemonas. Verum utrobique jam deos quaerite; quos enim praesumpseratis, daemonas esse cognoscitis.» [2])

S. Hieronymus et S. Chrysostomus [3]) repetunt

---

1) Secutus S. Scripturam Sap. XIII. 2. Aut ignem .... aut *solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt* ..... 10. Infelices autem sunt et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos *opera manuum hominum*, aurum et argentum .... XIV. 15 sqq: Acerbo enim luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem: et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam deum colere coepit ..... deinde interveniente tempore .... hic error tamquam lex custoditus est, et tyrannorum imperio colebantur figmenta .... *evidentem imaginem regis fecerunt.*

2) Tertull. Apol. c. 23. c. 22. et passim. Non raro tamen Euhemeristicam — sensu vulgari — rationem sequitur, e. gr. Apol. 10. «omnes istos deos vestros homines fuisse»; «etiam Jovem ostendemus tam hominem quam ex homine» (ibid.); «respondentes collationem divinitatis meritorum remunerandorum fuisse rationem» c. 12. «ut aetas, ut ars, ut negotium fuit, ita deus est» etc.

3) S. Hieron. passim; habetur vero apud eum et locus Euhemeristicus notatu dignus (In Osee c. 2. edit. Erasm. VI. p. 13): «Ninus adversus Zoroastrem magum, regem Bactrianorum forti certamine dimicavit et in tantam pervenit gloriam, ut

idololatriae originem ab imaginibus corporeis, quae divino cultu coluntur.

S. Cyprianus et Lactantius hanc plerumque in hominum, in primisque regum mortuorum, cultu ponunt iisque Euhemerismus optatissimus est socius.

Euhemerus — ut ad eum revertamur — testis fuit acceptissimus auctoribus ecclesiasticis.

Jure putat Némethy jam Athenagoram [1]) hisce verbis Euhemeri doctrinam tangere: *Οἵ δὲ τοῖς πολλοῖς ἀρέσκοντες θεοὶ καὶ τοῖς εἰκόσι ἐπονομαζόμενοι, ὥς ἔστιν ἐκ τῆς κατ' αὐτοὺς ἱστορίας εἰδέναι ἄνθρωποι γεγόνασι.*

Sequitur Clemens Alexandrinus, qui Euhemerum vocat sapientem, sagacemque.

Apud eum juxta Euhemerum Nicanor Cyprius, Diagoras, Hippo Melius, (Theodorus) Cyrenus habentur; omnes *σωφρόνως βεβιωκότες.* [2])

Utrum verum sit necne quod scribit Némethy (p. 13): «ab aliis auctoribus nomina eorum, quos ipse auctores profert sumpsisse videtur,» [3]) difficile est dictu, sine dubio vir erat magnae doctrinae, qui multa ex ipsis fontibus graecis hausit, nobisque permulta

---

patrem suum Belum referret in deum .... Didicimus exordium daemonis, imo hominis in daemonem consecrati: omnia enim idola ex *mortuorum* errore creverunt.» (quocum comparetur locus apud Lact. I. 22 «in tantam insolentiam venisse»).

S. Chrys. fere semper. Contra *«πείθων ἀνθρώπους (θεούς) νομίζειν..... τῆς εἰδωλολατρείας τὴν ἀρχὴν καὶ τὴν ῥίζαν εἰσήγαγεν.»* Hom. ad pop. Antioch. c. 7.

1) Athenagoras. Legat. pro Christian. 35. (*πρεσβεία περὶ Χριστιανῶν*), quam Marco Aurelio et Lucio Aurelio Commodo († 193) praesentavit. Die Abfassung und Ueberreichung der Apologie läszt sich mit annähernder Sicherheit in das Jahr 177 verlegen. (Bardenhewer Patrologie p. 105.)

2) Protrept. c. II. 24.

3) Quod Euhemerum Agrigentinum vocat certe rem non conficit, nam optime fieri potest — immo fere certum est, quum varii auctores varia tradant — ut Euhemerus in libro patriam suam non indicaverit. Clementem Teuffel sequitur.

fragmenta servavit; videtur tamen sua Euhemerea ex florilegio quodam sumpsisse.

Quidquid est, ejus narrationes de Venere ad Euhemeri librum pertinere videntur; jure de hac re Némethy (l. c): «sed plura etiam in Clementis libro insunt, quae non sine jure ad Euhemerum referenda esse videntur.»

Arnobius [1]) pendere videtur a Clemente, quum eosdem enumeret auctores (addito tamen Pellaeo Leonte); cum eo etiam Euhemerum facit Agrigentinum.

Pseudo-Plutarchi locum Eusebius [2]) habet, a quo pendet Theodoretus. [3])

Quibus ex fontibus reliqui auctores ecclesiastici Latini ea, quae de Euhemero habent, sumpserint, pro certo dici nequit.

Minucius Felix haec narrat: «Ob merita virtutis aut muneris deos habitos Euhemerus exsequitur et eorum natales, patrias, sepulchra dinumerat et per provincias monstrat, Dictaei Jovis, Apollinis Delphici et Phariae Isidis et Cereris Eleusiniae.»

S. Augustinus in pugna contra gentiles saepe

---

1) Arnobius Adv. nat. IV. 29. Hic Pellaeus Leon etiam inter auctores, qui de Alexandro scripserunt, citatur. Cfr. Lobeck Aglaophamus p. 999.

2) Eusebius Praep. Evang. XIV. 16. Uti jam adnotavimus pretiosa quaedam e Diodoro servavit.

3) Theodoretus Graec. affect. cur. p. 750 et p. 760. Némethy p. 15.: «Quamquam enim ipse ad Plutarchum provocat, tamen ut Diels in Doxogr. Graec. p. 45 sqq. exposuit, in excerptis suis ampliore Aëtii libro, non Pseudo-Plutarchi epitome, quam fama tantum noverat, usus est. Deinde, quod Diagoram *Milesium* nominat consentiens cum Eusebio, furtum reddit manifestum.« (Cfr. Bardenhewer Patrologie p. 346.) Etiam Chrysostomus Diagoram Milesium appellat ex eodem, uti videtur, fonte, hauriens.

4) Minucius Felix Octavius. c. 21.

5) Augustinus Epist. 44. De Civ. Dei. VII. 27. ib. VI. c. 7. De consensu Evang. I. c. 23.

utitur socio Euhemero, quem ex Cicerone cognovisse videtur.

Num Firmicus Maternus Euhemerea servaverit infra videbimus.

Restat auctor gravissimus, Lactantium dico, qui cum alibi tum in suis Divinarum Institutionum Libris VII, in primis in Libro I et II multa ex Euhemeri libro desumpta habet.

Quanti faciendae sint res a Lactantio relatae constituere, res est difficillima.

Ut recte solvatur ea quaestio in duas partes dividenda est, quarum prior:

Qua fide Ennius Euhemerum in latinum verterit sermonem? Altera:

Quae relatio intercedat Lactantium inter et Ennium, aliis verbis: Servaveritne religiose Enniana Lactantius?

Priorem partem jam supra (p. 27) attigimus, de altera hic pauca dicenda sunt.

Non omnes eodem modo de Lactantio judicium ferunt. Severissimus est Krahner[1]) qui haec habét: «Eine gewisse Celebrität erhielt die Schrift durch Lactanz, welcher sich auf dieselbe oft als eine, ihres Alterthums und Verfassers wegen, unumstössliche Autorität beruft. Lehrt nun auf der einen Seite schon die flüchtigste Betrachtung, dass die flache, charakterlose, fast alles Alterthümlichen entblösste Sprache, in denen diese Bruchstücke verfasst sind, dem Ennius eben so fremd, als dem Lactanz verwandt ist, so ist es auf der andern Seite schwierig, das Verhältniss zu bestimmen, in denen sie zur Schrift des Ennius stehen. Gerechten Zweifel aber an ihrer Echtheit, als unmittelbar aus Ennius entnommener Fragmente, erweckt, ausser ihrer Fassung, schon der Umstand, dass Lactanz *allein* diese *historia sacra* wirklich aus-

1) Krahner p. 38. sqq.

schreibt und in einer durchaus verdächtigen Weise benutzt. Man wird unwillkürlich zu der Ansicht geführt, es habe Lactanz die fragliche *historia sacra* auf den Grund seiner Kenntniss des Euhemerus bei Diodor, und vielleicht auch einiger als Ennianisch bekannter Verse, selbst zusammengesetzt, oder wenigstens als neugefertigte angewendet. Am meisten aber wird das ausgesprochene Urtheil dadurch unterstützt, dass in den sämmtlichen Fragmenten sich Nichts findet, was nicht Diodor auch hätte, oder wenigstens — da Eusebius nur unvollständig excerpirt — wahrscheinlicher Weise erzählt hat, sie betreffen alle den Mythus des Saturn und Jupiter.»

Itaque tria enumerantur, ob quae Lactantio fides derogandasit, 1°. sermo, prorsus ab Enniano sermone abhorrens, 2°. quod solus Lactantius Historiam Sacram exscribat et ea falso modo utatur, 3°. quod nihil apud Lactantium inveniatur, quod non habeat vel saltem habere possit Diodorus.

I. Ultima, ut ab his ordiar parum accurata sunt.

Lactantius non solum non habet omnia sua a Diodoro sed ne potuisse quidem habere videtur.

1°. Ipse Krahner fatetur, non inveniri apud Diodorum, id quod de Venere narratur [1] «quae prima, ut in historia sacra continetur, artem meretriciam instituit, auctorque mulieribus in Cypro fuit, uti vulgato corpore quaestum facerent: quod idcirco imperavit, ne sola praeter alias mulieres impudica et virorum appetens videretur.» Nur die Angabe über Venus I. 17. 10. findet sich beim Diodor nicht. Sicher führte den Ennius die Genealogie des Aeneas hierauf, vielleicht in den Annalen.»

Haec admitti nequeunt. Pulchrum sane fuerat Romanae gentis canere originem et affirmare ex meretrice natum esse gentis conditorem Aeneam!

1) Lactantius Div. Inst. I. c. 17. 10.

Toto caelo distant de Venere fragmenta Enniana ex Annalibus:

Te venerata precor, Venus, te, genetrix patris nostri,
ut me de caelo visas rogitata parumper.[1])

2⁰. Eusebius qui nobis fragmentum Diodorianum servavit dicit se ad verbum *(κατὰ λέξιν)* exscripsisse ea quae Diodorus de Urano, Saturno et Jove habet; apud Lactantium vero, deorum genealogiam referentem, habentur nomina (Titani, Pluto, Glauca), quae apud Diodorum non inveniuntur.

Haec itaque a Lactantio ex ipso Euhemeri opere desumta esse nihil impedit, licet de bello cum Titanibus et Saturno aliter sit judicandum.

Pugnae enim, de quibus narrat Lactantius, Jovis cum Titanibus et postea cum Saturno apud Diodorum, uti jam supra diximus, non habentur nec apud ipsum Euhemerum narratae fuisse videntur, sed Ennio deberi ea dixerim.

3⁰. Diodorus narrat regem factum esse Uranum ipsumque coluisse deos *οὐρανίους διὸ καὶ Οὐρανὸν προσαγορευθῆναι;* contra juxta Lactantium (I. c. 11.) Juppiter «suspexit in caelum, quod nunc nos nominamus, eique quod supra mundum erat, quod aether vocabatur *de sui avi nomine caelo nomen indidit.»*

Secundum Diodorum igitur Uranus nomen accepit a caelestibus diis, secundum Lactantium vero res inverso ordine facta est, caelum enim suum nomen habuit ab Urano.

---

1) Fragm. Poet. Rom. Fgr. 30. Nonius «Enn. *Ann.* Lib. I.»
Fgr. 17. Doctusque Anchisa, Venus quem pulcherrima dia
divom fata docet, divinum ut pectus haberet.
Fgr. 19. Transnavit cita per teneras caliginis auras.
Fgr. 20. Constitit inde loci propter sos dia dearum.
Festus «Ennius Lib. I.»

Cum Lactantio conferatur Theodoretus (Graec. aff. cur. disp. III. p. 767. ed Schulze): *Τὴν δέ γε Ἀφροδίτην, οὐδὲ εὐεργεσίας τινὸς ἄρξασαν, ἀλλὰ καὶ ἀκολασίας γεγενημένην διδάσκαλον· χαμαιτύπην γὰρ αὐτὴν [καὶ] ἑταίραν γεγενῆσθαί φασι καὶ ἐρωμένην Κινύρου· θεὰν ὠνομακάσιν.*

II. Nec illa veriora sunt, quae secundo loco profert Krahner: «Gerechten Zweifel an ihrer Echtheit, als unmittelbar aus Ennius entnommener Fragmente, erweckt, ausser ihrer Fassung, schon der Umstand, dass Lactanz allein diese *historia sacra* wirklich ausschreibt und in einer durchaus verdächtigen Weise benutzt», quibus in adnotatione addit «Hierher gehört die Wichtigkeit, die Lactanz dieser Urkunde beimisst I. 11. 33. I. 14. 1. verbunden mit der verdächtigen Berufung auf die Erythräischer Sibylle I. 14. 8.»

1°. Non verum videtur solum Lactantium Sacram Historiam exscribere, sed si jam verum esset, meo judicio nobis nullatenus offensioni esse debet; obiter enim Divinis Institutionibus inspectis apparet, eum in duobus prioribus praesertim libris, centies auctores ad verbum referre, immo apud eum non negligenda fragmenta Graecorum et Romanorum auctorum, quae alibi non inveniantur, haberi. [1])

2°. Neque quod Lactantius quandam Sacrae Historiae fabulam auctoritate Sibyllae confirmet Erythraeae: «Haec historia quam vera sit, docet Sibylla Erythraea eadem fere dicens, nisi quod in paucis, quae ad rem non attinent, discrepat,» me ut Krahnerum offendit, nam, (uti jure observat Sieroka), Lactantius haec non ex Sibyllino conflavit oraculo, sed illud oraculum ex Ennio conflatum et jam multo tempore ante Lactantium Sibyllae tributum videtur.

---

1) E. gr. Fragmenta *Ciceronis* Div. Inst. VII. 8. 9.; *Ovidii* («eum librum, quo Phaenomena breviter comprehendit») ib. II. 5. 24; *Senecae* (Exhortationes) ib. VI. 24. 16s; VI. 24. 12. 15; Senecae ignoti libri, ib. III. 15. 15; 25. 4s; VI. 20. 7; I. 7. 13; I. 5. 27; 7. 5; III. 15. 1; III. 15. 11s; III. 15. 13; III. 15. 14; III. 16. 15; III. 23. 14; III. 25. 15s. (De immature morte) I. 5. 26; III. 12. 11. (De remediis fortuitorum ?) V. 13. 20 (Moralis philosophiae libri) I. 16. 10s; II. 2. 14; II. 4. 14; II. 8. 23; VI. 25. 3; VI. 17. 28 etc.

Varronis (ex libris incertis) I. 10. 2; I. 13. 8; I. 17. 8; I. 21. 7. etc.

3°. Tandem, quod quantum scio nemo adhuc observavit, nusquam apud Lactantium, oratione recta Sacram Historiam allegantem, turpes res de Jove narrantur, quum tamen prorsus ex mente destructoris fidei gentium fuisset, qui cum alibi tum multis fragmentis Ennianis, ubi oratione indirecta utatur, vehementissime in deorum hominumque patrem invehatur, ut Div. Inst. I. 22: «Historia vero Sacra testatur ipsum Jovem, postquam rerum potitus *sit in tantam venisse insolentiam*, ut ipse sibi fana in multis locis constituerit . . . . quod ille *astutissime excogitavit* ut et sibi honorem divinum et hospitibus suis perpetuum nomen acquireret cum religione conjunctum.»

Exempla rectae orationis sint haec: «Sacra Historia dicit: Ad eum (Jovem) in jus veniebant, si quae res in controversia erant. Item si quis quid novi invenerat, quod ad vitam humanam utile esset, eo veniebat atque Jovi ostendebat.» [1])

«Ennius in Sacra Historia: Deinde Juppiter postquam . . . . reliquit hominibus leges, mores, frumentaque paravit, multaque *alia bona* fecit, *immortali gloria* memoriaque effectus *sempiterna monumenta* sui reliquit . . . . et ad deos abiit.« [2])

III. De Lactantii sermone vere Enniano jam supra diximus.

Hisce omnibus consideratis affirmare ausim Lactantii fragmenta ad Sacram Historiam Ennianam cognoscendam magni esse momenti.

---

1) Div. Inst. I. c. 11. 35. Alium locum Sacrae Historiae: «Et sepulchrum ejus est in Creta, in oppido Gnosso: in quo sepulchro ejus est inscriptum *ZAN KPONOY*,» confirmat versibus sibyllinis: «Hoc certe non poetae tradunt, sed antiquarum rerum scriptores, quae adeo vera sunt, ut ea Sibyllinis versibus confirmentur, qui sunt tales:

δαίμονας ἀψύχους νεκύων εἴδωλα καμόντων
ὧν Κρήτη καύχημα τάφους ἡ δύσμορος ἴσχει. (I. 11. 46.)

2) Lact. Div. Inst. I. c. 11. 45. sq.

3) ibid.

QUAESTIO IV.

De quibusdam fragmentis Euhemereis.

Fragmenta Euhemerea magna cum cura collegit Némethy. Hanc collectionem sequimur, nisi quod — quum in universum cum viro clarissimo facere possumus — *de quibusdam* fragmentis, quae ab illo sive injuria Euhemero assignata esse nobis videntur, sive minus recte disposita, sive perperam explicata fuerint, ampliori examine agemus.

I. De Sexti Empirici fragmento.

Initium faciamus a fragmento quod habet Sextus Empiricus (IX. 17. p. 552.)

Εὐήμερος δὲ ὁ ἐπικληθεὶς ἄθεός φησιν·

῞Οτ' ἦν ἄτακτος ἀνθρώπων βίος, οἱ περιγενόμενοι τῶν ἄλλων ἰσχύι τε καὶ συνέσει, ὥστε πρὸς τὰ ὑπ' αὐτῶν κελευόμενα πάντας βιοῦν, σπουδάζοντες μείζονος θαυμασμοῦ καὶ σεμνότητος τυχεῖν, ἀνέπλασαν περὶ αὐτοὺς ὑπερβάλλουσάν τινα καὶ θείαν δύναμιν, ἔνθεν καὶ τοῖς πολλοῖς ἐνομίσθησαν θεοί.

Némethy putat «hunc locum Euhemeri ad verbum exscriptum» et «verba ejus hoc uno loco integre servata esse.»

Qua in re virum clarissimum non recte vidisse probare conabimur. Est res sane magni momenti, nam adversariorum nostrorum hunc locum velut castellum esse in oculos incurrit.

Hoc fragmento nititur Némethyi de Euhemero judicium, quod p. 7 ita protulit: «deos maximos homines fuisse non optimos confidentissime contendit.»

Eadem Kannii sententia, qui scribit «optime mihi videtur tradidisse Euhemeri de diis sententiam Sextus Empiricus.» [1])

Huic opinioni non levia opponi possunt:

1°. Hujus fragmenti fons sat turbidus esse videtur.

Némethy postquam — Dielsium secutus — dixit de florilegio e quo sua de atheis hausit Sextus ita pergit: «Faciliùs jam erit unde Sextus Empiricus Adv. Math. l. IX. 17. locum Euhemeri ad verbum exscriptum sumpserit, probabili assequi conjectura. Nam si ea, quae de Euhemeri apud doxographos et in florilegiis memoria exposuimus, moremque illius aetatis in auctoribus laudandis consideramus, verba ejus hoc uno loco integre servata e tali potissimum fonte fluxisse non sine jure nobis videmur suspicari.» [2])

Horum florilegiorum auctoritatem saepe non magnam esse apparebit, quando dicemus de loco de atheis.

2°. Euhemerus fictam scripsit narrationem, uti omnes concedunt; ab hujus vero narrationis fictae natura abhorret, ut apertis verbis — certe initio operis — suam proferat auctor sententiam.

3°. Uti jam animadvertimus Euhemerus nil nisi

---

1) Kan. p. 55. Eadem de Block Euhémère p. 60 sqq. «Ainsi si nous en croyons Sextus toutes les divinités n'avaient été, d'après Euhémère, que des ambitieux et des fourbes, qui pour tromper la foule, avaient usurpé un pouvoir divin et établi eux-mêmes le culte que leur accordait la posterité. Telle devait être, en effet, l'impression générale du livre d'Euhémère.» Opponit hisce deinde quas Diodorus narrat optimas res. «Nous n'oserions cependant pas affirmer que ces détails se trouvaient réellement dans le livre d'Euhémère: ils peuvent avoir été ajoutés par Diodore lui-même qui s'efforçait, en toute occasion, à montrer les dieux comme des bienfaiteurs de l'humanite!»

Quae, nostra sententia, non vera sunt nam non Diodorus sed Sextus videtur errare.

2) Némethy p. 17.

bonum immo optimum de Jove narrasse videtur, quum Sextus tradat eum docuisse homines fortes sua potentia abusos fuisse et sic deos factos esse.

Diodorus enim aperte dicit propter beneficia viros potentes et claros a plebe deos creditos, *παρ' ἅπασι τιμηθῆναι καὶ θεοὺς ἀναγορευθῆναι.*

Eadem, quae Diodorus, habet Lactantius [1]: «iidem primi ac maximi reges: sed eos aut *ob virtutem,* qua profuerant hominum generi, divinis honoribus affectos esse post mortem: *aut ob beneficia et inventa,* quibus humanam vitam excoluerant, immortalem memoriam consecutos quis ignorat?»

Minucius Felix: «ob merita virtutis aut muneris deos habitos.» [2])

4°. Ipse Némethy: «Sextus Adv. Math. IX. 34. Euhemerum sectatoresque refutaturus talem committit errorem, *ut doctrinam scriptoris nostri ei parum accurate* fuisse notam statim appareat. Dicit enim l. l. haec: *„Οἵ δὲ λέγοντες τοὺς πρώτους τῶν ἀνθρώπων ἡγεμονεύσαντας καὶ διοικητὰς τῶν κοινῶν πραγμάτων γενομένους πλείονα δύναμιν αὐτοῖς περιθέντας καὶ τιμὴν πρὸς τὸ ὑπακούειν τὰ πλήθη, τούτους χρόνῳ τελευτήσαντας θεοὺς ὑποληφθῆναι, πάλιν οὐ συνιᾶσι τὸ ζητούμενον. Αὐτοὶ γὰρ οἵ εἰς θεοὺς ἀνάγοντες αὐτοὺς* [3]) *πῶς ἔννοιαν ἔλαβον θεῶν εἰς ἣν αὐτοὺς ἐνέταξαν;*

1) Lactantius De Ira Dei c. 11.

2) Min. Felix Octav. c. 21.

3) Vehementer suspicor legendum esse: *αὐτοὶ γὰρ οἵ εἰς θεοὺς ἀνάγοντες αὐτοὺς πῶς κτλ...... εἰς ἣν αὐτοὺς ἐνέταξαν;*

Ceteroquin enim ipse Sextus sibi contradicit, nam scribit § 34: *χρόνῳ τελευτήσαντας θεοὺς ὑποληφθῆναι, παλιν οὐ συνίασι τὸ ζητούμενον.*

Hic non se ipsi reges faciunt deos sed tempore, post mortem a suis dii habiti sunt.

Legitur etiam § 52: *Εὐήμερος μὲν ἔλεγε τοὺς νομιζομένους θεοὺς δυνατούς τινας γεγονέναι ἀνθρώπους, καὶ διὰ τοῦτο ὑπο τῶν ἄλλων θεοποιηθέντας δόξαι θεούς,* itaque *ab aliis* relati in numerum deorum, visi sunt dii.

τοῦτο γὰρ δεόμενον ἀποδείξεως παρεῖται. Quibus refutari non potest Messenius noster, qui non reges priscae aetatis, Uranum, Saturnum et Jovem fuisse primos deos, sed iam ab Urano, qui siderum cursus pervidisset, numina caelestia culta esse narravit, unde, secundum doctrinam eius, e siderum contemplatione ortam esse in hominibus primam divinitatis notionem probabiliter colligitur.»

Auctor, qui in ipso systemate dijudicando committit errorem doctrinamque non recte intellexit, in reliquis quoque non magna fiducia dignus videtur.

5°. Alio etiam sub respectu verba primi fragmenti suspicionem movent, incipit enim locus: *Ὅτ' ἦν ἄτακτος ἀνθρώπων βίος*, haec est ultima pars senarii jambici; recurrunt eadem apud Sextum allegantem Critiam atheum:

ἦν χρόνος ὅτ' ἦν ἄτακτος ἀνθρώπων βίος
καὶ θηριώδης ἰσχύος θ' ὑπηρέτης. (§ 54.)

Praeterea eadem vox *ἰσχύς* initio Euhemeri verborum et Critiae versuum recurrit.[1])

Quae omnia probare videntur Sextum sive inscitia seu neglegentia falso Euhemero tribuere, quae aliorum (Critiae ?) doctrina fortasse fuit, parumque eum Euhemeri doctrinam intellexisse, aperte enim sibi ipse contradicit et adversa fronte pugnat cum judicio Ciceronis, qui hic iterum describendus est: «Qui aut fortis aut claros aut potentis viros tradunt *post mortem* ad deos pervenisse eosque esse ipsos, quos nos colere, precari, venerarique soleamus, nonne expertes sunt religionum omnium ? quae ratio maximime tractata ab Euhemero est.»[2])

1) Eosdem versus habet Pseudo-Plutarchus, ab eo Euripidis Sisypho, injuria uti videtur, tribuuntur (Cfr. Dindorf Poet. Scen. Greac. Fab. et Fragm. [5] p. 340. Ps — Plut. sequitur Galenus vol 4. p. 427 ed. Bas. vol. 2. p. 30 Chart.); apud eum statim sequuntur post locum de Euhemero.

2) Cicero De Nat. D. I. 42. Cfr. Diels Dox. Gr. I. p. 59.

II. De Diodori fragmentis.

Habeat Euhemerus multos impugnatores, habet et disertum laudatorem, Diodorum dico, qui et divinae providentiae propugnator est (I. 1. 3.) et Euhemerum magni facit.

Nobis e Diodoro duo servata sunt fragmenta Euhemerea, quorum alterum, longissimum, legitur Libro V. cc. 41—46; brevius alterum e deperdito libro sexto, habetur apud Eusebium.

Brevius fragmentum majoris momenti est; in eo rei cardo attingitur, quum longius in primis descriptionem Panchaiae aliarumque insularum contineat.

Ordiamur a breviore. Eusebius (Praep. Evang. II. p. 59—61.) haec habet:

Ὁ Διόδωρος καὶ ἐν τῇ ἕκτῃ ἀπὸ τῆς Εὐημέρου τοῦ Μεσσηνίου γραφῆς ἐπικυροῖ τὴν αὐτὴν θεολογίαν, ὧδε κατὰ λέξιν φάσκων· Περὶ θεῶν τοίνυν διττὰς οἱ παλαιοὶ τῶν ἀνθρώπων τοῖς μεταγενεστέροις δεδώκασιν ἐννοίας· τοὺς μὲν γὰρ αϊδίους καὶ ἀφθάρτους εἶναί φασιν, οἷον ἥλιον καὶ σελήνην καὶ τὰ ἄλλα τὰ κατ' οὐρανὸν ἄστρα, πρὸς δὲ τούτοις ἀνέμους καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς τῆς ὁμοίας φύσεως τούτοις τετευχότας· τούτων γὰρ ἕκαστον ἀΐδιον ἔχειν τὴν γένεσιν καὶ τὴν διαμονήν· ἑτέρους δὲ λέγουσιν ἐπιγείους γενέσθαι θεούς, διὰ δὲ τὰς εἰς ἀνθρώπους εὐεργεσίας ἀθανάτου τετυχηκότας τιμῆς καὶ δόξης, οἷον Ἡρακλέα, Διόνυσον, Ἀρισταῖον, καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς τοιούτους ὁμοίως. Περὶ δὲ τῶν ἐπιγείων θεῶν πολλοὶ καὶ ποικίλοι παραδέδονται λόγοι παρὰ τοῖς ἱστορικοῖς τε καὶ μυθογράφοις· καὶ τῶν μὲν ἱστορικῶν Εὐήμερος ὁ τὴν ἱερὰν ἀναγραφὴν ποιησάμενος ἰδίως ἀνέγραψε, τῶν δὲ μυθολόγων Ὅμηρος καὶ Ἡσίοδος και Ὀρφεὺς καὶ ἕτεροι τοιοῦτοι τερατωδεστέρους μύθους περὶ θεῶν πεπλάκασιν, ἡμεῖς δὲ τὰ παρ' ἀμφοτέροις ἀναγεγραμμένα πειρασόμεθα συντόμως ἐπιδραμεῖν στοχαζόμενοι τῆς συμμετρίας. Εὐήμερος μὲν οὖν, φίλος γενονὼς Κασσάνδρου βασιλέως καὶ διὰ τοῦτον ἠναγκασμένος τελεῖν βασιλι-

κάς τινας χρείας καὶ μεγάλας ἀποδημίας, φησὶν ἐκτοπισθῆναι κατὰ τὴν μεσημβρίαν εἰς τὸν Ὠκεανόν. Ἐκπλεύσαντα δὲ αὐτὸν ἐκ τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας ποιήσασθαι τὸν πλοῦν δι' Ὠκεανοῦ πλείους ἡμέρας, καὶ προσενεχθῆναι νήσοις πελαγίαις, ὧν μίαν ὑπερέχειν τὴν ὀνομαζομένην Παγχαίαν, ἐν ᾗ τεθεᾶσθαι τοὺς ἐνοικοῦντας Παγχαίους εὐσεβείᾳ διαφέροντας καὶ τοὺς θεοὺς τιμῶντας μεγαλοπρεπεστάταις θυσίαις καὶ ἀναθήμασιν ἀξιολόγοις ἀργυροῖς τε καὶ χρυσοῖς. Εἶναι δὲ τὴν νῆσον ἱερὰν θεῶν, καὶ ἕτερα πλείω θαυμαζόμενα κατά τε τὴν ἀρχαιότητα καὶ τὴν τῆς κατασκευῆς πολυτεχνίαν, περὶ ὧν τὰ κατὰ μέρος ἐν ταῖς πρὸ ταύτης βίβλοις ἀναγεγράφαμεν. Εἶναι δ' ἐν αὐτῇ κατά τινα λόφον ὑψηλὸν καθ' ὑπερβολὴν ἱερὸν Διὸς Τριφυλίου, καθιδρυμένον ὑπ' αὐτοῦ καθ' ὃν καιρὸν ἐβασίλευσε τῆς οἰκουμένης ἁπάσης ἔτι κατὰ ἀνθρώπους ὤν. Ἐν τούτῳ τῷ ἱερῷ στήλην εἶναι χρυσῆν, ἐν ᾗ τοῖς Παγχαίοις γράμμασιν ὑπάρχειν γεγραμμένας τάς τε Οὐρανοῦ καὶ Κρόνου καὶ Διὸς πράξεις κεφαλαιωδῶς. Μετὰ ταῦτά φησι πρῶτον Οὐρανὸν βασιλέα γεγονέναι, ἐπιεικῆ τινα ἄνδρα καὶ εὐεργέτην καὶ τῆς τῶν ἄστρων κινήσεως ἐπιστήμονα, ὃν καὶ πρῶτον θυσίαις τιμῆσαι τοὺς οὐρανίους θεούς· διὸ καὶ Οὐρανὸν προσαγορευθῆναι. Υἱοὺς δὲ αὐτῷ γενέσθαι ἀπὸ γυναικὸς Ἑστίας Τιτᾶνα καὶ Κρόνον, θυγατέρας δὲ Ῥέαν καὶ Δήμητραν. Κρόνον δὲ βασιλεῦσαι μετὰ Οὐρανόν, καὶ γήμαντα Ῥέαν γεννῆσαι Δία καὶ Ἥραν καὶ Ποσειδῶνα. Τὸν δὲ Δία διαδεξάμενον τὴν βασιλείαν τοῦ Κρόνου γῆμαι Ἥραν καὶ Δήμητραν καὶ Θέμιν. Ἐξ ὧν παῖδας ποιήσασθαι Κούρητας μὲν ἀπὸ τῆς πρώτης, Περσεφόνην δὲ ἐκ τῆς δευτέρας, Ἀθηνᾶν δὲ ἀπὸ τῆς τρίτης. Ἐλθόντα δὲ εἰς Βαβυλῶνα ἐπιξενωθῆναι Βήλῳ· καὶ μετὰ ταῦτα εἰς τὴν Παγχαίαν νῆσον πρὸς Ὠκεανῷ κειμένην παραγενόμενον Οὐρανοῦ τοῦ ἰδίου προπάτορος βωμὸν ἱδρύσασθαι. Κἀκεῖθεν διὰ Συρίας ἐλθεῖν πρὸς τὸν τότε δυνάστην Κάσιον· ἐξ οὗ καὶ τὸ Κάσιον ὄρος. Ἐλθόντα δὲ εἰς Κιλικίαν πολέμῳ νικῆσαι Κίλικα τοπάρχην. Καὶ ἄλλα δὲ πλεῖστα ἔθνη ἐπελθόντα παρ' ἅπασι τιμηθῆναι καὶ θεὸν ἀναγορευθῆναι.

Quum nostrae disputationis decursu de reliquis

partibus fuse locuti sumus, restat ut de initio 1—3 Ὁ Δ. — συμμετρίας hic quaedam dicamus.

Antiqui igitur secundum Diodorum duplicem de diis protulerunt sententiam, alios putant sempiternos esse et omnis interitus expertes (quales sunt sol, luna, sidera, venti et illi, qui talis naturae participes sunt) et nullum istorum ortus suï initia habuisse aut desiturum esse. Alios terrenos esse commemorant, qui ob beneficia erga homines divinos acceperint honores, quorum e numero Hercules, Bacchus et Aristaeus fuerunt, tum alii omnes his similes. De his ἐπιγείοις diis *propriam* protulit Euhemerus, historicus, sententiam.

Haec Diodori verba sanam explicationem non admittunt.

Quid dicere debuerit, ac fortasse voluerit, non difficile est assequi; sed ut verba se habent, sensu sunt cassa. Quid enim? Duone tantum deorum genera cognoverant antiqui, tales nempe qui tam principio quam interitu carerent, ut sol, luna, sidera, et tales, qui ob sua erga homines merita divinos honores acceperint, ut Hercules, Bacchus, Aristaeus?

Itaque non fuerunt Juppiter et Juno, Apollo, Diana, Venus, Mars, totus denique ille deorum coetus omnibus notus?

At utrorum numero hi sunt assignandi? Num forte eorum, qui non solum interitu sed principio quoque carent, qui ἀΐδιον τὴν γένεσιν ἔχουσιν? At quis nescit Jovis reliquorumque illorum deorum natales? Cui ignota notissima deorum genealogia? Scilicet detrudemus eos in alteram classem, ad quam pertinent Hercules, Bacchus, Aristaeus, quique his sunt similes, e. gr. Castor et Pollux, qui etsi post ingentia facta deorum in templa recepti sunt, tamen revera homines fuerunt et, dum terras hominumque colunt genus, aspera bella componunt, agros adsignant, op-

pida condunt, ploravere suis non respondere favorem speratum meritis! Quam absurdum hoc sit, quivis opinor, intellegit.

Itaque rectissime Diodori verba explicaverit, qui non explicaverit; incredibili enim sed solita incuria haec scripsit. Voluerat fortasse, debuerat certe scribere haec fere: «Duo ab antiquis agnoscebantur deorum genera; alteri tam principio quam interitu carent neque in terra degunt neque vitam agunt hominum vitae similem, neque species eorum humanae speciei similis; quales sunt sol, luna, sidera.

Alterum vero est genus eorum, qui non principio quidem, sed tamen interitu carent; quosque specie humana quidem sublimiori sed non prorsus tamen dissimili praeditos *(ἐπιγείους θεούς)* informamus; hi autem rursus probe distinguendi sunt in duo genera; alteri enim ut dii nati sunt, semper vitam divinam egerunt, alteri carent quidem ortu divino. sed propter sua erga homines merita *post mortem* in deorum numerum recepti, immortalitatem adepti sunt ut Hercules et Liber pater et cum Castore Pollux.

Jam Euhemerus priores hujus secundae classis deos, Jovem, Junonem, reliquosque de quibus Homerus, Hesiodusque tot tamque mira narraverant in alteram classem detrudit, eosque Herculi et Baccho fecit similes; vel ut accuratius dicam: ut antiqui crediderant paucos tantum ut Herculem et Liberum post vitam humanam ob merita erga homines, ab ipso Jove in Olympum receptos immortalitatem vitamque divinam fuisse adeptos, ita Euhemerus docuit omnes, qui ut dii ab hominibus adorentur (Juppiter et reliqui), olim fuisse homines, qui propter merita non quidem veram post mortem immortalitatem assecuti essent, sed a gratis hominibus divinis jam colerentur honoribus proque diis immortalibus haberentur.»

Verba supra allata (1—3) non ipsi Euhemero[1]) tribuenda sed Diodoro vindicanda et post haec demum incipere Euhemeri inventa, jure observat Némethy, praelibant tamen, Diodori de Euhemero sententiam, ideoque non nihili sunt facienda.

Etiam de majore pericope, quae in libro V. 41—46 invenitur locuti sumus (p. 21. sqq.).

Longum fragmentum hic exscribere supervacaneum est; animadvertatur vero in minutis rebus duo fragmenta discrepare:

1) Apud Eus. *κατά τινα λόφον ὑψηλὸν καθ' ὑπερβολὴν ἱερὸν Διὸς Τριφυλίου.*	Diod. V. 42.6. *Ἱερὸν Διὸς Τριφυλίου κείμενον μέν ἐν χώρᾳ πεδιάδι.*

Quam discrepantiam recte tollit Némethy animadvertens, regionem templum circumjacentem planam esse *(τὸ περὶ τὸ ἱερὸν πεδίον)*, sed ipsum templum situm esse in monte.

2) Apud Eus. dicitur in columna insculptas esse *Οὐρανοῦ καὶ Κρόνου καὶ Διὸς πράξεις κεφαλαιωδῶς.*	Contra Diod. V. 46. 7. *ἦσαν αἱ πράξεις Οὐρανοῦ τε καὶ Διὸς ἀναγεγραμμέναι.*

Itaque V. 46. 7. res gestae Saturni non narrantur. Injuria ut nobis videtur Sévin: «Il n'y en a aucune mention de Saturne dans le texte du cinquième livre de Diodore et *le tout par la négligence des copistes* car le nom de Saturne se lit très expressément dans un fragment du sixième.»[2])

Potius dixeris illas non magni momenti fuisse hancque ob causam hoc loco omissas fuisse.

---

1) Zeller [2] II. 275. 5. Die Ansicht des Euh. über die Götter ist mit kurzem diese: «Es gebe zweierlei Götter himmlische und unvergängliche Wesen und verstorbene Menschen, die als Wohlthäter der Menschheit vergöttert wurden.»

2) Sévin Mémoires de l'Académie des Inscript. et des Belles Lettres T. VIII. p. 109.

Haec res me movet ut credam Lactantium illa multa, quae de Saturno habet, debere soli Ennio, nec illa referenda esse ad ipsum Euhemerum. Quid mirum Ennium de antiquissimo illo deo Italico multo plura narrasse quam narraverit Euhemerus? De Dianae Apollinisque actis nihil in fragmento legitur, tamen illa relationem habere videntur cum rebus Aegyptiacis, narrataque esse ab Euhemero.

Quod literae vocentur hic *τὰ παρ' Αἰγυπτίοις ἱερά*, illic *Πάγχαια γράμματα* difficultatem non movet, nam utroque loco sermo est de hieroglyphis.

Facit hoc ut credam res Aegyptiacas spectari.

Diodorus non ad verbum Euhemerum exscripsisse videtur, sed epitomen sat magnam servavisse; nam ut recte animadvertit Némethy: «Cum in tota descriptione Diodorus praesenti verborum tempore, ut geographum decet, uteretur, interdum paulo neglegentius excerpens imperfectum tempus ab auctore suo usurpatum retinuit, velut in fr. III. 43. 3. *Ἦν δὲ καὶ τῶν φοινίκων στελέχη μεγάλα καὶ καρποφόρα διαφερόντως καὶ καρύαι πολλαὶ ἀκροδρύων δαψιλεστάτην τοῖς ἐγχωρίοις ἀπόλαυσιν παρεχόμεναι. Χωρὶς δὲ τούτων ὑπῆρχον ἄμπελοί τε πολλαὶ καὶ παντοδαπαί, αἳ πρὸς ὕψος ἀνηγμέναι καὶ διαπεπλεγμέναι ποικίλως ἡδεῖαν τὴν πρόσοψιν ἐποίουν καὶ τὴν ἀπόλαυσιν τῆς ὥρας ἑτοιμοτάτην παρείχοντο;* et ibid. 44, 1—2.: *Ὁ δὲ ναὸς ὑπῆρχεν ἀξιόλογος ἐκ λίθου λευκοῦ, τὸ μῆκος ἔχων δυεῖν πλέθρων ..... Κύκλῳ δὲ τοῦ ναοῦ τὰς οἰκίας εἶχον οἱ θεραπεύοντες τοὺς θεοὺς ἱερεῖς, δι' ὧν ἅπαντα τὰ περὶ τὸ τέμενος διῳκεῖτο.* Nonne manifestum est, Euhemerum, quippe qui se in Panchaia fuisse fingeret, velut praeterita, quae ibi vidisset, rettulisse, Diodorum autem geographorum more insulas Oceani meridiani describere volentem praesenti tempore minus constanter esse usum?» (p. 9.) [1])

---

1) Praeter duo laudata fragmenta alia etiam apud Diodorum quidam vindicant Euhemero; ita Heynius Euhemero narratio-

III. Loci de Atheis.

Hic uno sub aspectu collocandi sunt loci de Euhemeri atheismo.

1. Pseudo—Plut. De plac. phil. I. c. 7. *Ἔνιοι τῶν φιλοσόφων καθάπερ Διαγόρας ὁ Μήλιος καὶ Θεόδωρος ὁ Κυρηναῖος καὶ Εὐήμερος ὁ Τεγεάτης, καθόλου φασὶ μὴ εἶναι θεούς. Τὸν δὲ Εὐήμερον καὶ Καλλίμαχος ὁ Κυρηναῖος αἰνίττεται ἐν τοῖς ἰάμβοις.*

---

nem de Iside et Osiride (I. 27) tribuit. Injuria, ut nobis videtur, nam legitur in Isidis sepulchro: *ἐγώ εἰμι ἡ τοῦ νεωτάτου Κρόνου θεοῦ θυγάτηρ* et in Osiridis *πατὴρ μὲν ἐστί μοι Κρόνος νεώτατος θεῶν ἁπάντων*, quae non uti Sieroka (p. 17) vult significant: «ut plures is, qui hanc descriptionem finxerit narraverit fuisse Saturnos» sed auctorem habuisse Saturnum deorum miminum natu.

Hecataeo Diodorus—res Aegyptiorum describens — in libro I inde a c. 10 usque ad finem libri (exceptis cc. 32—41, 62. 1—7, et cc. 94 sqq.) multa debet. (Cfr. Schwartzii disputatio in Rhein. Mus. XL. 223 sqq). V. cl. Kuiper (Mnem. XXII. p. 25 sqq.) probavit etiam in primis capitibus multa Hecataea latere.

Ganssius longius progressus est et Euhemero adscribit II. 9. II. 20. II. 38—39. III. 52—56. III. 56—60. III. 71—72. V. 64—80.

II. 9 vero nihil habetur nisi templi Jovis descriptio, quae probabiliter Ctesiae debetur; certe simulacra de quibus sermo ibi fit a Persarum regibus jam ante Euhemeri tempora rapta fuerunt.

II. 20 habentur quaedam de Semiramide, sed ea, quae apotheosin spectant ad Ctesiam a Diodoro referuntur.

II. 38 de Baccho et 39 de Hercule narrat Diodorus; sed illa Indica, ut hodie apud omnes constat Megastheni debet.

III. 52—55 in tota hac de Amazonibus pericope prorsus nihil Euhemereum habetur.

III. 56—60 quae de apotheosi dicuntur ad Euhemerum referri possent, nisi ipse Diodorus fateretur se ea Dionysio debere.

III. 71—72. Sermo est de Bacchi expeditionibus; sed hae expeditiones quum susciperentur Juppiter nondum natus erat; praeterea Titanes ibi non filii sunt Titanis, fratris Saturni sicut in Historia Sacra.

V. 64—80. Cretae historia non ad Euhemerum est referenda, quum ipse Diodorus provocet ad Epimenidem, Dosiadam, Sosicratem, Leosthenidem.

2. Sextus Empir. Adv. Mathem. IX. 50. *Τῶν οὖν περὶ ὑπάρξεως θεοῦ σκεψαμένων οἳ μὲν εἶναί φασι θεόν, οἳ δὲ μὴ εἶναι, οἳ δὲ μὴ μᾶλλον εἶναι ἢ μὴ εἶναι. Καὶ εἶναι μὲν οἱ πλείους τῶν δογματικῶν καὶ ἡ κοινὴ τοῦ βίου πρόληψις, μὴ εἶναι δὲ οἱ ἐπικληθέντες ἄθεοι, καθάπερ Εὐήμερος*

γέρων ἀλαζὼν ἄδικα βιβλία ψύχων

καὶ Διαγόρας ὁ Μήλιος καὶ Πρόδικος ὁ Κεῖος καὶ Θεόδωρος καὶ ἄλλοι παμπληθεῖς· ὧν Εὐήμερος μὲν ἔλεγε τοὺς νομιζομένους θεοὺς δυνατούς τινας γεγονέναι ἀνθρώπους καὶ διὰ τοῦτο ὑπὸ τῶν ἄλλων θεοποιηθέντας δόξαι θεούς.

3. Pseudo-Galenus *Περὶ φιλοσόφου ἱστορίας* c. 35. (ed Diels Doxogr. Graec. p. 617, 618.): *Ὅσα κατ' ἀρχὰς περὶ θεοῦ λέγοντες παραλελοίπαμεν ταῦτα νῦν ἐροῦμεν. Τοὺς μὲν τῶν πρότερον πεφιλοσοφηκότων εὕροιμεν (ἂν) θεοὺς ἠγνοηκότας, ὥσπερ Διαγόραν τὸν Μήλιον καὶ Θεόδωρον τὸν Κυρηναῖον καὶ Εὐήμερον τόν Τεγεάτην οὐ γὰρ εἶναι θεοὺς εἰπεῖν τετολμήκασιν.*

4. Aelianus; Var. Hist. II. 31 *Καὶ τίς οὐκ ἂν ἐπήνεσε τὴν τῶν βαρβάρων σοφίαν; εἴ γε μηδεὶς αὐτῶν ἐς ἀθεότητα ἐξέπεσε, μηδὲ ἀμφιβάλλουσι περὶ θεῶν ἆρα γέ εἰσιν ἢ οὐκ εἰσιν, καὶ ἆρά γε ἡμῶν φροντίζουσιν ἢ οὔ. Οὐδεὶς γοῦν ἔννοιαν ἔλαβε τοιαύτην, οἵαν Εὐήμερος ὁ Μεσσήνιος ἢ Διογένης ὁ Φρὺξ ἢ Ἵππων ἢ Διαγόρας ἢ Σωσίας ἢ Ἐπίκουρος οὔτε Ἰνδὸς οὔτε Κελτὸς οὔτε Αἰγύπτιος.*

5. Theophilus ad Autolycum, l. III. e. 5. *Τὰ περὶ Εὐημέρου τοῦ ἀθεωτάτου πέρισσον ἡμῖν καὶ λέγειν· πολλὰ γὰρ περὶ θεῶν τόλμησας φθέγξασθαι ἔσχατον καὶ τὸ ἐξόλου μὴ εἶναι θεοὺς ἀλλὰ τὰ πάντα αὐτοματισμῷ διοικεῖσθαι βούλεται.*

Theophilus ad Autolycum, l. III. e. 5. *Τίνι οὖν αὐτῶν πιστεύσωμεν; Φιλήμονι τῷ Κωμικῷ λέγοντι·*

Οἱ γὰρ θεὸν σέβοντες ἐλπίδας καλὰς
Ἔχουσιν εἰς σωτηρίαν

ἢ οἷς προειρήκαμεν Εὐημέρῳ καὶ Ἐπικούρῳ καὶ Πυθαγόρᾳ καὶ τοῖς λοιποῖς ἀρνουμένοις εἶναι θεοσέβειαν καὶ πρόνοιαν ἀναιροῦσι;

6. Theodoretus, Graec. affect. curatio, p. 758. *Ἀναγνωστέον δὲ οὐ μόνον τὰ τῶν ἱερῶν ἀποστόλων μαθήματα ἀλλὰ καὶ τὰ τῶν θείων προφητῶν θεσπίσματα. Οὕτω γάρ τις καὶ τῆς παλαιᾶς καὶ τῆς νέας θεολογίας τὴν ξυμφωνίαν ὁρῶν, θαυμάσεται τὴν ἀλήθειαν καὶ φεύξεται μὲν Διαγόρου τοῦ Μιλησίου καὶ τοῦ Κυρηναίου Θεοδώρου καὶ Εὐημέρου τοῦ Τεγεάτου τὸ ἄθεον· τούτους γὰρ ὁ Πλούταρχος ἔφησε μηδένα νενομικέναι θεόν.*

Theodoretus, Graec. affect. curatio, p. 760. *Οὐκ οὖν μόνοι γε ἄθεοι Διαγόρας ὁ Μιλήσιος καὶ Θεόδωρος ὁ Κυρηναῖος καὶ Εὐήμερος ὁ Τεγεάτης καὶ οἱ τούτοις ἠκολουθηκότες, παντάπασι φάντες μὴ εἶναι θεοὺς, ὥς ὁ Πλούταρχος ἔφη· ἀλλὰ καὶ Ὅμηρος καὶ Ἡσίοδος καὶ αἱ τῶν φιλοσόφων ξυμμορίαι, παμπόλλους μὲν θεῶν μυθολογήσαντες ὁρμαθοὺς, ἀνδραποδώδεις δέ τινας καὶ παθῶν ἀνθρωπείων ἀποφήναντες δούλους.*

Contra hosce insurgunt:

7. Clemens Alexandrinus, Protrept. c. II. 24. *Ὧν δὴ χάριν — οὐ γὰρ οὐδαμῶς ἀποκρυπτέον — θαυμάζειν ἔπεισί μοι, ὅτῳ τρόπῳ Εὐήμερον τὸν Ἀκραγαντῖνον καὶ Νικάνορα τὸν Κύπριον καὶ Διαγόραν καὶ Ἵππωνα τὸν Μήλιον, τόν τε Κυρηναῖον ἐπὶ τούτοις ἐκεῖνον — ὁ Θεόδωρος ὄνομα αὐτῷ — καί τινας ἄλλους συχνούς, σωφρόνως βεβιωκότας καὶ καθεωρακότας ὀξύτερόν που τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων τὴν ἀμφὶ τοὺς θεοὺς τούτους πλάνην, ἀθέους ἐπικεκλήκασιν, εἰ καὶ τὴν ἀλήθειαν αὐτὴν μὴ νενοηκότας, ἀλλὰ τὴν πλάνην γε ὑπωπτευκότας· ὅπερ οὐ σμικρὸν εἰς ἀληθείας φρονήσεως ζώπυρον ἀναφύεται σπέρμα.*

8. Arnobius Adv. nat. IV. 29: «Et possumus quidem hoc in loco omnis istos, nobis quos inducitis atque appellatis deos, homines fuisse monstrare vel Agragantino Euhemero replicato, cuius libellos Ennius, clarum ut fieret cunctis, sermonem in Italum transtulit, vel Nicanore Cyprio vel Pellaeo Leonte vel Cyrenensi Theodoro vel Hippone ac Diagora Meliis,

vel auctoribus aliis mille, qui scrupulosae diligentiae cura in lucem res abditas libertate ingenua protulerunt.»

Euhemerum carpentibus praeiverat Callimachus (apud Ps.-Plut. De plac. phil. I. 7. p. 880) qui de eo dixerat:


Εἲς τὸ πρὸ τείχευς ἱερὸν ἀλέες δεῦτε,
οὗ τὸν πάλαι χάλκεον ὁ πλάσας Ζᾶνα
γέρων ἀλαζὼν ἄδικα βιβλία ψύχει. [1])

Post eum Sextus Emp., Ps.-Galenus, Aelianus, Theophilus Euhemerum in atheorum sectam detrudunt, contra Clemens et Arnobius Euhemerum aliosque, quos primi vehementissime carpunt, laudibus cumulant, probosque viros vocant.

Pauca dicenda sunt de fontibus eorum, qui Euhemerum deorum contemptorem putant.

Duo praesertim sunt doxographi, Ps.-Plutarchus et Stobaeus. Sua hauserunt — uti Diels (p. 45 sqq.) ostendit — ex communi fonte, Aëtium dico († 125 p. Chr.), cui etiam Theodoretus *(ἑλληνικῶν παθημάτων θεραπευτική)* multa debet.

Praemitto hoc stemma:



1) Hic locus mendis laborat; obstat metrum quominus legamus *χάλκεον*; Schol. ad Alleg. Il. Tzetzis [apud Matrangam

Epicureo cuidam deberi, quae de Euhemero atheo habet Pseudo-Plutarchus (Plac. Phil. I. c. 7. *Τίς ἐστιν ὁ θεός*) vel hujus fons Aëtius, inde apparet, quod statim post, in eodem capite, disputatio instituitur contra Anaxagorae Platonisque de divina providentia doctrinas, quae disputatio tota nititur argumentis *Epicureis*. Inde etiam reliqua ex Epicureo quodam hausta esse fit probabile (Cfr. Zeller Hist. Phil. Gr.[2] I. p. 895.)

Némethy (p. 14): «Ergo jam apud eum nostri nomen occurrit, quod sine ulla doctrinae Euhemereae notione ab eo sumpsit Aëtius, ab Aëtio deinde Pseudo-Plutarchus a Pseudo-Plutarcho denique Pseudo-Galenus.»

Diels[1]) putat non ex ipso ignoto illo Epicureo, sed e florilegio quodam ubi jam excerptus esset ille Epicureus Aëtium sua sumpsisse.

Pseudo-Plutarchus et Sextus Empiricus (Adv.

---

in Anecd. Graec. p. 608. legitur *χάλκιον*. Bentleyus correxit *Παγχαῖον* sed (uti observat Némethy p. 73.) *χάλκεον* et *Παγχαῖον* confundi vix possunt; — praeterea Schol. supra allatum id vetat et apud Diodorum legitur: *παρὰ δὲ τὴν πλεύραν ἑκατέραν τοῦ δρόμου χαλκεῖα μεγάλα κεῖται*. Nullomodo igitur Bentleyi conjectura necessaria videtur, facimusque cum Némethyo scribente *χαλκεῖον*.

Unde mendosa orta sit scriptura facile apparet: *ει* enim scribebatur per *ῑ*.

Ultimum verbum *ψύχει* a Bentleyo correctum fuit in *ψήχει*; sed *ψύχει* habent codd. Mosquensis et Marcianus et Schol. ad Clem. Alex. Prot. II. C. 24 (Paris. *ψῦχε*).

Utrumque, et *βιβλία ψύχειν* et *ψήχειν ἅπαξ εἰρημένον* est; acquiescendum nobis videtur in codicum lectione: impios libros eructat, vel potius spirat.

1) Diels p. 59.: «Atheorum indicem Epicureus ex *Clitomacho* hausisse videtur, unde cum Ciceronis de deor. natura I. 42. series tum Sexti Emp. amplior adv. Math. IX. 50. excerptio pendent.»

Notatu dignum videtur, quod apud Theophilum III. 7. Critiae, Protagorae, Euhemero *Clitomachus* addatur.»

Math. IX. 50.) sua ex eodem fonte, Clitomachum dico, diversa via habere videntur. Apud utrumque iidem versus Callimachi et Critiae leguntur [1]), eadem nomina Euhemerus, Diagoras, Theodorus occurrunt. [2])

A. Ps.-Plutarcho [3]) pendere Ps.-Galenum vel obiter inspecto loco patet; philosophorum opiniones eodem ordine recensèt, quo Ps.-Plutarchus, praeterea cum eo Euhemerum Tegeatem facit.

Ps.-Plutarchi locum habet Eusebius XIV. 16. Theodoretus quidem provocat ad Ps.-Plutarchum sed quum, cum Eusebio consentiens, Diagoram non Melium sed Milesium vocet, hac in re ad Eusebium est referendus.

Aelianus longam atheorum seriem contexuit, utrum illa nomina ex aliquo fonte sumpserit an memoria prompserit difficile est dictu; nullum ex iis, quos rettuli, libros ante oculos habuisse videtur, nam Theodorum illum ἀθεώτατον omisit.

Restant Clemens et Arnobius, qui «scrupulosam diligentiam» laudant eorum, quos atheos vocant praecedentes.

Idem quod de Aeliano dicendum videtur de Clemente, nomina sat conspirant cum Aeliani nominibus; cur Epicurum omiserit facile intelligitur, fuit enim Epicurus divinae providentiae vehementissimus impugnator; si habuerit ante se quoddam florilegium certe non id fuit, quo usus esse potuit Aelianus, nam Clemens Euhemerum Agrigentinum [4]) facit, contra Aelianus Messenium.

1) Versus a Ps.-Plut. injuria ut videtur tribuuntur Euripidis Sisypho. Cfr. Dindorf Poet. Scen. Graec. Fab. et Fragm.[5] p. 340. Ps.-Pl. sequitur Galenus.

2) Additur a Sexto Prodicus Ceus.

3) Plutarchus de Is. et Os. 23. vehementissime invehitur in Euhemerum: πᾶσαν ἀθεότητα κατασκεδάννυσι τῆς οἰκουμένης.

4) Cum eo, nulla tamen addita ratione facit Teuffel § 103. 6. Némethyi sententia haec est (p. 13.): «Neque tamen scripta

Arnobius [1]) hic ut saepe pendet a Clemente. Eosdem enumerat auctores (addito tamen Pellaeo Leonte) et cum eo Euhemerum Agrigentinum facit.

De auctoribus, quos citant Clemens et Arnobius Lobeckius [2]) haec habet: «Complures alios, incertum quo jure, huc congerunt (i. e ad pragmaticos trahunt) Clemens et Arnobius IV 29: «Possumus omnes istos, quos inducitis et appellatis deos, homines fuisse demonstrare vel Euhemero replicato vel Nicanore Cyprio vel Pellaeo Leonte vel Hippone et Diagora Meliis;» quorum nullum certis indiciis coarguere possumus praeter Leontem, de quo Hyginus Astr. II. 20. «Leon, qui res Aegyptias conscripsit, ait, quum Liber Aegyptum teneret et omnia primus hominibus ostendisse diceretur, Hammonem quendam ex Africa venisse et pecoris multitudinem ad Liberum duxisse — Itaque pro beneficio ei Liber existimatur agrum dedisse etc.» Quae si cum Tertulliani verbis conferas de Cor. VII. «Leonis scripta evolvas, prima Isis repertas spicas capite circumtulit,» hisque rursus Augustini locum apponas Civ. VIII. 27. de Iside uxore Osiris et de parentibus eorum, qui omnes reges fuisse scribuntur, quibus parentibus suis illa cum sacrificaret invenit hordei segetem, quae et quanta mala non a poetis sed mysticis eorum literis memoriae mandata sint, sicut Leone sacerdote prodente ad Olympiadem scribit Alexander, legant qui volunt.....

Messenii nostri cognovisse, sed, ut ejus mos erat, ab aliis auctoribus, nomina eorum, quos ipse auctores profert, sumpsisse videtur.» Non tamen ex eo contra Clementem est judicandum, quod Euhemerum Agragantinum faciat, nam quum alii aliud tradunt, Euhemerus patriam in Sacra Historia non indicavisse videtur.

1) Arnobius Adv. Nat. IV. 29 (ed. Reiffenscheid.)

2) Lobeck Aglaophamus p. 999.

Schol Apoll. IV. 262: «*Λέων ἐν πρώτῳ τῶν πρὸς τὴν μητέρα πάντων ἀρχαιοτάτους Αἰγυπτίους φησὶ καὶ συμφωνεῖ — Νικάνωρ.*» Haec de pragmaticis Lobeckius.

Nostra sententia Clemens et Arnobius hos auctores non in pragmaticorum proprie dictorum classe ponere videntur, sed docere illos, qui deos gentium esse negent, recte vidisse.

Plerique qui de philosophia Graeca scripserunt volunt — pauca quaedam de hac quaestione hic dicenda sunt — Euhemerum pertinere ad scholam Cyrenaicam.

Ueberwegii [1]) sententia subobscura est; dubitanter eum in Cyrenaicorum sectam detrudere videtur.

Zeller [2]) putat probabile esse Euhemeri doctrinam cohaerere cum Schola Cyrenaica.

Mullach [3]) in Fragm. Phil. Gr. Euhemeri reliquias in Cyrenaicorum fragmenta recepit.

Idem affirmat Kan. [4])

Loci quibus nituntur hi viri docti sunt illi de atheis, quos supra descripsimus, quibus plerumque una cum Theodoro Cyrenaico citatur.

---

1) Ueberweg Heinze [8] p. 134: «Als einen Schüler des Theodorus bringt man mit der Kyrenaischen Schule in Verbindung den Rationalisten Euhemerus, der den Götterglauben aus der Verehrung ausgezeichneter Menschen erklärt.....» Contra p. 137: «Sein Zusammenhang mit der Kyrenaischen Schule ist, abgesehen davon, dass man ihn mit Theodorus in Verbindung bringt, ein sehr fraglicher. Doch wird sich seine Erklärung der Mythologie noch am ersten mit der Bestreitung des Volksglaubens, wie sie bei den Kyrenaikern vorkam, vereinigen lassen. (s. Zeller II. 1. [2] 343 A.)

2) Zeller Philosophie der Griechen l. c. «Ein Zusammenhang mit der cyrenaischen Schule ist nicht unwahrscheinlich.»

3) Mullach Fr. Ph. Gr. II. p. 431 sqq.

4) Kan p. 32: «non injuria Cyrenaicis annumeratur et discipulus Theodori vocatur.... quod patet.... ex simili cogitandi ratione in contemnendis vulgi diis.»

Rohde[1]), Némethy[2]), de Block[3]) inter Cyrenaicos Euhemerumque affinitatem fuisse perfracte negant.

Respondemus. 1º. Ex eo, quod saepius una cum Theodoro citetur non sequi eum ad eam sectam pertinere ad quam pertineat Theodorus, etenim eodem loco nominantur et Diagoras, qui certe non ex Cyrenaica sed ex atomistica Democriti schola est, et Prodicus Ceus, qui fuit e Socratis praeceptoribus, neque igitur huic sectae est annumerandus.

2º. Alibi Euhemerum citari cum quinque atheis, inter quos non recenseatur Cyrenaicus Theodorus, qui est ὁ ἀθεώτατος.

Nostra sententia Euhemeri Sacra Historia non fuit opus philosophicum, quum vero nihil aliud ex scriptis ejus habeamus dici nequit, utrum sectae cuidam adscribendus sit nec ne.

IV. De locis spectantibus Panchaiam.

Duo hic examinentur:

1º. Credantne posteriores esse Panchaiam?

2º. Si credant, cuinam regioni hoc nomen detur?

Nostrorum hominum nemo serio credit[4]) in rerum natura extitisse insulam Panchaiam, sed consentiunt hodierni fictam fuisse ab Euhemero, ut haberet ubi

1) Rohde p. 225: «Es ist nicht bedeutungslos dass unter den von Lobeck p. 987 sqq. aufgezählten Euhemeristen vor Euhemerus sich nur pragmatisirende Mythengeschichtschreiber finden keine Philosophen und namentlich kein Mitglied der cyrenaischen Schule .... Nicht der leiseste Wink der Ueberlieferung spricht für diese Annahme (dass Euhemerus zur Schule der Cyrenaiker gehört habe, als ein Schüler Theodors des Atheisten).

2) Némethy p. 6 et p. 18.

3) de Block p. 138.

4) Rohde p. 222: «Schwerlich aber hatte Euhemerus bei dieser Ausmalung eines fingirtes Ideallandes die Absicht einer mehr als poetische Täuschung. Nicht ungeschickt versetzte er

sua de Jovis rebus gestis, deque aurea columna poneret.

Plato praeiverat, quum hominum felicissimorum, Atlanticorum, rempublicam describens, suam Atlanticam insulam invenit.

Sed *antiqui* scriptores putaveruntne serio insulam Panchaiam esse?

Certe multi lectores Sacrae Historiae id crediderunt, etenim Euhemeri fictae narrationi vehementer sese opposuerunt Callimachus, Eratosthenes, Polybius, Strabo, Euhemerumque mendaciloquum vocaverunt; non sinebant hi geographi ficta narratione insulae Panchaiae terrarum ac locorum scientiam rectam veramque occaecari.

Contra Diodorus autumat Euhemeream Panchaiam revera *insulam* esse, magnamque hujus descriptionis partem nobis servavit.

Una cum Diodoro faciunt auctores ecclesiastici, Lactantius aliique.

Quid de ipso Ennio — cui Lactantius sua debet — statuendum? Utrum crediderit necne Panchaiam revera esse, dici nequit; in Sacra Historia *insulae* naturam illi dedit.

Alii sunt loci, qui digni sunt, qui examinentur.

Panchaiae nomen habetur saepe apud Latinos; sed quaenam regio hoc nomine indicatur?

Legitur apud Servium (ad Verg. Georg. II. 139.): «*Panchaia, Arabia*, ut diximus supra. Panchaia regio Arabiae ubi est templum Jovis Triphylii.»

Servio igitur est pars Arabiae.

Aliis locis, ubi sermo est de ave Phoenice, idem nomen occurrit: «Aethiopes atque Indi discolores

---

seine Panchäa nach jenen fernen Ländern und Meeren des Ostens, welche, ganz vor kurzem durch die Züge Alexanders des Grossen einer halben Kunde entschlossen, den Hellenen alle Wunder und Herrlichkeiten zu bergen schienen.»

De nomine cfr. de Block Euhémère p. 23. Latini poetae: Panchāīă.

maxime et inenarrabiles ferunt aves et ante omnes nobilem Arabia phoenicem .... Primus atque diligentissime togatorum de eo prodidit *Manilius* senator ille maximis nobilis doctrinis doctore nullo ....

Ex ossibus et medullis ejus nasci primo ceu vermiculum, inde fieri pullum, principique justa funera reddere et totum deferre nidum *prope Panchaiam in Solis urbem* et in ara ibi deponere. (Plinius N. H. X. c. 2.)

Quaenam vero est haec «Solis urbs prope Panchaiam sita?»

Recte ut haec quaestio solvatur, consulendi sunt auctores qui, sicut et Plinius, sua de Phoenice Manilio, qui tempore vixit Sullano, debent.[1])

1. Pomponius Mela (Chorogr. III. c. 8. § 83—84.): «De volucribus praecipue referenda Phoenix semper unica .... Cum adolevit, ossa pristini corporis inclusa murra *Aegyptum* exportat et *in urbe, quam Solis appellant,* flagrantibus arae bustis inferens memorando funere consecrat.»

2. Tacitus (Ann. VI. c. 28): «Sunt qui adseverent .... priores alites Sesoside primum, post, Amaside dominantibus, dein Ptolemaeo, qui ex Macedonibus tertius regnavit, in civitatem cui *Heliopolis* nomen advolavisse.... subire patrium corpus inque *Solis aram* perferre atque adolere. Haec incerta et fabulosis aucta: ceterum aspici aliquando in *Aegypto* eam volucrem non ambigitur.»

3. Lactantius De ave Ph. 121 sq.

Quam pedibus gestans contendit *Solis ad urbem*
Inque ara residens ponit in aede sacra.

et 151 sq.:

Huc venit *Aegyptus* tanti ad miracula visus
Et raram volucrem turba salutat ovans.

1) Teuffel Gesch. der Röm. Liter. 158 [5]: «Der Sullanischen Zeit gehört auch der Senator L. Manlius.» Alii Manilium, alii Manlium eum vocant.

4. Claudianus Phoen. v. 89 sqq:

Clara per *Aegyptum* placidis notissima sacris
Urbs Titana colit, centumque accline columnis
Invehitur templum Thebaeo monte revulsis....
Jam flammae commendat opus.[1])

Maniliana illa Solis urbs ergo est celeberrima urbs in Aegypto, Heliopolis; unde Nemethy[2]) effecit: «narrationem Manilii de ave Phoenice ad Historiam Sacram referri non posse.» Injuria uti videbimus.

Urlichs[3]) verba «prope Panchaiam» spuria habet; animadvertit vero v. cl. jam Solinum haec habere: «Rogos suos struit cinnamis, quos prope Panchaeam concinnat, in solis urbem strue altaribus superposita;» (c. 33.) quapropter statuit, verba haec interpolata fuisse. Et hoc injuria.

Némethy, ut difficultatem solvat, statuit sermonem esse de aliis Panchaeis provocatque ad Pomponium Melam (Chorogr. III. 8. § 81.): «Extra sinum, verum in flexu tamen etiamnum Rubri maris pars bestiis infesta ideoque deserta est, partem *Panchaei* habitant, hi quos ex facto, quia serpentibus vescuntur, Ophiophagos vocant.»

Sed animadvertatur in Pomponii codicibus non legi Panchaei sed *Candaei*;[4]) praeterea descriptio incolarum, «qui serpentibus vescuntur» et regionis «bestiis infesta ideoque deserta est» toto caelo differt ab insulanis, insulaque Euhemereis.

Rem acu tetigisse mihi videtur v. cl. Kuiper, qui in disputatione: «De Ezechiele Poeta Judaeo,» citatis

1) Cfr. Ovid. Metam. XV. 405—407.

2) Némethy Addenda p. 12.

3) Urlichs Chrest. Plin. p. 145.

4) Est Vossii conjectura Panchaei, non optima, uti videtur, nam Plinius N. H. VI. 29: Introrsus *Candei*, quos Ophiophagos vocant, serpentibus vesci assueti.

versibus 248—253,[1]) haec habet: «Unde scriptoribus hisce Panchaea, quod loci nomen non ad veram geographiam sed ad fictas Euemeri narrationes pertinet? Res, ni fallor, perspicua. Convenire quodammodo videbatur felicissima insula, quam sibi finxerat Euemerus, cum iis Arabiae regionibus quas nomine Elim indicavit Exodi scriptor. Itaque ut magis exornaret rem pseudo-Hecataeus Panchaeam illam qua inclaruerat historia sacra Euemeri transferendam curavit in Arabiae continentem et cum amoeno loco Elim unam eandemque esse finxit. Inde sua sumserunt auctores Plinii, inde quoque Ezechiel. Et etiamnunc ejus rei memoria remanet in Ezechielis narratione nam vix fugiet comparantem Euemeriana quae a Diodoro servantur (V. 41 sqq.) cum nostro dramate, nonnulla in utriusque descriptionibus ita convenire ut fere eundem locum spectare videantur.»

Transpositionem haberi libenter concedo; hac admissa omnes loci optime explicantur.

Itaque, quidquid judicandum videtur de verbis Plinianis, hoc ni fallor constat Panchaia illa Plinii Arabiae regionem significari.

Hoc admisso jam quaestionem de Romanis poetis instituamus.

Apud Vergilium (Georg. II. 139) legitur:

Totaque turiferis Panchaia pinguis arenis.

---

1) Versus sunt. 248—253 (Apud Eus. Pr. Ev. IX. 28 p. 437):

ἐνταῦθα λειμῶν' εὕρομεν κατάσκιον
ὑγράς τε λιβάδας· δαψιλὴς χῶρος βαθύς,
πηγὰς ἀφύσσων δώδεκ' ἐκ μιᾶς πέτρας·
στελέχη δ' ἐρυμνὰ πολλὰ φοινίκων πέλει
ἔγκαρπα, δεκάκις ἑπτά, καὶ κατάρρυτος
χλόη πέφυκε θρέμμασιν χορτάσματα.

Mnemosyne XXVIII. (1900) p. 277. Cfr. quoque Fourmont (Mémoires de l'Acad. des Inscr. T. XV. p. 265 sqq: «Il s'agit ici du désert de Pharan: l'Ecriture la nomme plusieurs fois; mais si cette *transposition* faisait peine . . . . »

ubi adnotat Servius: «Panchaia: *Arabia*, ut diximus supra. Panchaia regio Arabiae, ubi est templum Jovis Triphylii.»

Eadem verba legimus etiam apud Philargyrium.

Itaque secundum Servium Vergilius loquitur de *Arabia*.

Ad eandem Arabicam Panchaiam referendi videntur reliqui de Panchaia poetarum Romanorum loci. Sunt autem:

Lucret. II. 417. sq:

Et quom scena croco Cilici perfusa recens est,
araque *Panchaeos* exhalat propter odores.

Verg. Georg. IV. 379 sq:

Pars epulis onerant mensas et plena reponunt
pocula, *Panchaeis* adolescunt ignibus arae.

Tibull. III. 2. 23. sq:

Illic, quas mittit dives *Panchaia* merces,
Eoique Arabes, pinguis et Assyria.

Ovid. Met. X. 307—310:

Sit dives amomo,
cinnamaque costumque suam, sudataque ligno
tura ferat, floresque alios Panchaia tellus.

Claudianus De nupt. Hon. et Mar. 93 sqq. (uti saepe Ovidium imitatus):

Hic mitis amomi
hic casiae matura seges, *Panchaia* turgent
cinnama, nec sicca frondescunt vimina costa.

Si vera sunt quae disputavimus non sua sumserunt ex Ennio, uti vulgo creditur, sed ex Manilio aliove auctore, qui Panchaiam jam in Arabiae continentem transportaverat.

Unde sequitur:

1°. Illam rationem, quam Némethy allegat, ut probet Ennium versibus opus suum inclusisse (p. 19) quae est, Romanos *poetas* eum imitatos fuisse, corruere.

2°. Injuria Ovidii versus Metam. X. 307—310. inter fragmenta Euhemerea receptos fuisse.

V. De Fragmentis apud Lactantium.

De fide Lactantii, deque ejus sermone vere Enniano, jam fuse locuti sumus. Quum vero de singulis fragmentis Némethy ita sagaciter egit, ut non possit sagacius, supervacaneum duximus de hisce post virum clarissimum agere, quum vix quidquam, notatu dignum, addere possimus.

Unum tantum restat fragmentum, de quo nova quaedam proferri a nobis possunt; est autem fr. 27 (Lact. Div. Inst. I. 11).

«Historia vero sacra testatur ipsum Jovem, postquam rerum potitus sit, *in tantam venisse insolentiam*, ut ipse sibi fana in multis locis constituerit. Nam cum terras circumiret, ut in quamque regionem venerat, reges principesve populorum hospitio sibi et amicitia copulabat: et cum a quoque digrederetur, iubebat sibi fanum creari hospitis sui nomine; quasi ut posset amicitiae ac foederis memoria conservari. Sic constituta sunt templa Jovi Ataburio, Jovi Labrandeo. Ataburius enim et Labrandeus hospites eius atque adiutores in bello fuerunt. Item Jovi Laprio, Jovi Molioni, Jovi Casio et quae sunt in eundem modum Quod ille *astutissime excogitavit*, ut et sibi honorem divinum et hospitibus suis perpetuum nomen acquireret cum religione coniunctum. Gaudebant ergo illi et huic imperio eius libenter obsequebantur et nominis sui gratia ritus annuos et festa celebrabant. Simile quiddam in Sicilia fecit Aeneas, cum conditae urbis Acestae hospitis nomen imposuit, ut eam postmodum laetus ac libens Acestes diligeret, augeret, ornaret. Hoc modo religionem cultus sui per orbem terrae

Juppiter seminavit et exemplum ceteris ad imitandum dedit.»

De quo ut recte judicetur apponendus est locus ex Lactantii Epitome ad Pentadium c. 24: «Euhemerus autem in sacra historia ipsum Jovem dicit, postquam imperium ceperit, sibi multis in locis fana posuisse. Nam circuiens orbem, ut quemque in locum venerat, principes populorum amicitia sibi et hospitii jure sociabat. Cujus rei ut posset memoria servari, fanum sibi creari jubebat atque ab hospitibus suis annua festa celebrari. Sic per omnes terras cultus sui nominis seminavit.» [1])

Quibus ex locis comparatis apparet multa in primo fragmento inesse, quae non Sacrae Historiae sed ipsi Lactantio debentur. Deflectit in fr. 27 a sua agendi ratione, qua res modo, quo illas invenerat, nihilo de suo addito, tradat. Fragmentum hoc magni momenti esse jam apparet ex iis, quae superius exposuimus; illi enim, qui putant de Jove multas malas res ab Euhemero narrari, acerbumque de illo summo deo proferri judicium, hoc in primis fragmento nituntur.

Veniamus ad singula. Verba «*in tantam venisse insolentiam*» non inveniuntur in Epitome et prorsus abhorrent a judicio de Jove Euhemereo alibi prolato.

Templorum nomina, [2]) quae in Institutionibus habentur non leguntur in Epitome, fieri tamen potest ut ea ex Euhemero hausta fuerint.

Verba «*quod ille astutissime excogitavit*» a Lactantio addita videntur ob rationem, quam supra protulimus: in compendio non habentur.

---

1) Lactantius, uti notum est, rogatu fratris Pentadii, Libros Divinarum Institutionem VII in breviorem formam redigit.

2) Nomina apud Roscherum in Lexicone s. v. habentur.

Juppiter Labrius et Juppiter Molio ignoti sunt. Ataburius colitur apud Agrigentum, Labrandeus prope Labrandam in Caria, Casius in Syria.

Verba «simile quiddam in Sicilia fecit Aeneas, cum conditae urbi Acestae hospitis nomen imposuit, ut eam postmodum laetus ac libens Acestes diligeret, augeret, ornaret,» non cum Muellero expungenda sunt, sed ipsi Lactantio debentur.

Muellerus[1]:· «Haec omnino non ab Euhemero aut Ennio addita sed ab eo, qui vertit librum Ennii in prosam.»

Libenter concedo haec neque Euhemero neque Ennio deberi, sed — uti ostendere conati sumus — Lactantius sua non cuidam, qui soluta oratione Ennium verterit, debet, sed immediate ex Ennio sumpsit; quapropter cum Némethyo facimus statuente Lactantium, quum hic suis verbis — oratione indirecta — Sacrae Historiae argumentum daret, ante oculos habentem Aeneidos Librum V haec addidisse, uti exemplo omnibus noto sua illustraret.

Movet me, ut haec credam, comparatio, quam Lactantius instituit inter Neptuni et M. Antonii regnum «cui totius orae maritimae potestatem senatus decreverat, ut praedones persequeretur ac mare omne pacaret.»

Totus locus optime referri potest ad Historiam Alexandri Magni, omnia in Asia fecit, ut divinum sibi acquireret honorem.

Graeci in Asia Minore Alexandri imperio libenter obsequebantur. Ionum ritus annui et festa in ejus honorem omnibus nota sunt.[2]

Ipse tandem cultum sui nominis per orbem terrarum seminavit et diadochis exemplum ad imitandum dedit, quod hi copiose imitati sunt.

---

1) Luc. Mueller Ennii carminum reliquiae p. 210.
2) Droysen Gesch. Alex. d. Gr. I. [1] p. 235 nt. 2.

VI. De Fragmento apud Columellam.

Accedimus ad testimonium quod viris doctis, ad pragmaticas, quae dicuntur, rationes Euhemeri fabulas explicandas esse putantibus, maximas peperit difficultates.

Legitur apud Columellam IX. c. 2: «Atque ea, quae Hyginus fabulose tradita de originibus apum non intermisit, poeticae magis licentiae quam nostrae fidei concesserim.

Nec sane rustico dignum est sciscitari, fueritne mulier pulcherrima specie Melissa, quam Juppiter in apem convertit, an, *ut Euhemerus poeta dicit, crabronibus et sole genitas apes, quas nymphae Phryxonides educaverunt; mox Dictaeo specu Jovis exstitisse nutrices easque pabula munere dei sortitas, quibus ipsae parvum educaverant alumnum.* Ista enim, quamvis non dedeceant poetam, summatim tamen et uno tantummodo versiculo leviter attigit Vergilius, cum sic ait: Dictaeo caeli regem pavere sub antro. Sed ne illud quidem pertinet ad agricolas, quando et in qua regione primum natae sint: utrum in Thessalia sub Aristaeo, *an in insula Cea, ut scribit Euhemerus,* an Erechthei temporibus in monte Hymetto, ut Euthronius, an Cretae Saturni temporibus, ut Menander.»

De eo de Block[1]) «Quant au passage cité par Columelle nous ne pouvons pas l'attribuer à l'auteur de l'Inscription sacrée. Ou bien Columelle a complétement dénaturé un passage de la traduction faite par Ennius de l'ouvrage d'Euhémère dont il ne comprenait pas la doctrine, ou bien, ce qui nous semble plus probable, il n'a pas écrit Euhemerus ou Euemerus, mais peut-être, comme le suppose Sévin[2]),

1) de Block Euhémère p. 42. sq.

2) Sévin Mém. de l'Ac. d'Inscr. VIII. p. 117. Falso Eueni nomen inferri probatur ex eo, quod codices duo Medicei (ita Politianus) et cod. Lipsiensis habeant Euhemerus (sive Heuhemerus) reliqui Homerus, quae ultima corruptela indicat Euhemeri nomen latere.

Euenus. Quoi qu'il en soit, ce passage est complétement en désaccord avec la doctrine Euhémériste.»

Prudentius jam Némethy p. 22 et p. 80 de hoc fragmento judicaverat, putaveratque Columellam sua ex Ennio sumpsisse.

In suis Quaestiunculis Euhemereis III vero haec habet: «De hoc loco doctissime disputavit *Crusius* (*Ad scriptores Latinos exegetica,* Rhein. Mus. a 1892. t. 47. p. 63.): «Euhemerum quod *poetam* Columella nominavit, non sine quadam veri specie ad versus Ennianos rettulit Vahlen. Sed altius scrutanti vereor ne hoc testimonium inter manus evanescat. Columella enim, qui Hygini *fabulose tradita de apibus* cavillatur atque *poeticae magis licentiae quam nostrae fidei* concedit, Euhemeri testimonium non excerpsit ex Ennii libello, quem neque per nomen citat usquam neque ad manus habuit, sed a docta *Hygini* disputatione transtulit: ubi cum plerosque auctores poetas esse videret, etiam Euhemerum Musarum thiaso inseruit.»

«Columella igitur, quae de Euhemero dicit, Hygino debet, Hyginum autem Graeco Euhemeri libro usum esse ipse docui p. 11. editionis meae. Quare Columellae locus non fragmentis versionis Ennianae, ut nos fecimus, sed reliquiis Euhemeri ipsius est adnumerandus.»

Hac in re cum Némethyo facimus. Videamus vero quomodo locum explicet: «An id maxime offensioni est, quod apes Jovis nutrices exstitisse narrantur? Sed Euhemerus, qui alibi aquilam in Jovis capite consedisse atque ei regnum portendisse scripsit, non omnia, quae mira esse viderentur, e libro suo exclusit.»

Haec verissima sunt sed intelligi nequit, cur mira haec receperit, si pragmatica ratione omnia explicare voluerit. Columellae locus de Jovis nutricibus et de origine apum et locus, de aquila qui habetur apud

Lactantium, vehementer me movent ut opinionem, consilium Euhemeri philosophicum fuisse, rejiciam.

VII. De Fragmentis apud Firmicum Maternum.

Longa est narratio apud Firmicum Maternum de Cerere et Proserpina:

« 1. Sequitur hanc sacri contagionem et imitatur ordinem funeris a Cerere Hennensi muliere mors filiae consecrata. Nam quicquid in Creta pater circa filium fecerat, hoc totum Ceres apud Hennam amissa filia impatientia materni doloris instituit: quod quatenus factum sit, brevi sermone perstringam.

Unicam Cereris filiam, quam Graeci Persefonam, nostri immutato sermone Proserpinam dicunt, ad coniugale consortium plures petebant. Mater sollicita de singulorum meritis iudicabat et cum adhuc omnibus matris sententia videretur incerta, dives rusticus, cui propter divitias Pluton fuit nomen, temerario cupiditatis ardore, cum moras dilationis ferre non posset et cum praeposteri amoris coqueretur incendiis, prope Percum inventam virginem rapit. Percus est autem lacus in Hennae civitatis finibus satis amoenus et gratus, cuius amoenitas ex florum varietatibus nascitur: nam per omnem annum vicissim sibi succedentibus floribus coronatur. 2. Illic invenies quicquid hyacinthi turget in caulem, illic comam narcissi vel quod auream rosam desuper pingit, illic albae hederae per terram molliter serpunt et cum purpureis violis suaviter rubens amaracus invenitur, nec coronam istam alba deserunt lilia: prorsus aptus locus qui gratia sua puellares animos et invitaret pariter et teneret. In hoc loco cum a Plutone virgo prope vesperam fuisset inventa, vi rapitur et superimposita vehiculo scissis vestibus laceratis crinibus ducitur:

nec resecati ungues contra amatorem rusticum aliquid profuerunt nec clamor atque ululatus adiuvit nec ceterarum strepitus puellarum. 3. Tunc una celeri cursu, cum de civitate nemo succurreret, facta ex ipso timore velocior matri raptum virginis nunciat. Contra raptorem indignata mater armatam manum ducit: nec Plutonem mulieris fefellit adventus, sed ut retorsit ad civitatem oculos et infinitos cuneos respexit venire cum matre, funestum cepit ex desperatione consilium: quadrigam qua vehiculum trahebatur per medium lacum dirigit: is erat profundis voraginibus immersus. Illic cum amata submersus virgine miserandae matri de morte filiae funestum spectaculum praebuit. 4. Hennenses ut possent maternis luctibus ex aliqua parte invenire solacium, inferorum regem virginem rapuisse finxerunt, et ut fides figmenta sequeretur, prope Syracusas eum per alium locum cum virgine emersisse iactarunt. Templum sane et raptori et virgini accurate conlatis sumptibus faciunt et annua in templo vota decernunt: sed nullo genere matris dolor vincitur nec muliebris impatientiae tormenta curantur, sed credens vere filiam prope Syracusas esse visam, Triptolemo duce vilico suo nocturnis itineribus ad Syracusanae civitatis litus cum lugubri veste ac sordido squalore pervenit. Nec illic defuit qui credulam de calamitatibus suis falleret matrem: ait se Pandarus nescio qui vidisse non longe a Pachyno navem raptorem ascendisse cum virgine. Persuasum est mulieri, quae, quoniam quolibet genere vivere filiam cupiebat audire, infinitis donis remunerat civitatem. 5. Syracusani liberalitate mulieris provocati raptum virginis consecrant et mitigantes dolorem matris pompam miseri funeris excolunt honore templorum. Sed nec hoc sufficit matri, sed ascensa nave per peregrina littora filiam quaerit. Sic fluctibus tempestatibusque iactata ad Atticae urbis locum

pervenit: illic hospitio recepta incolis incognitum adhuc triticum dividit. Locus ex patria et ex adventu mulieris nomen accepit, nam Eleusin dictus est, quod illuc Ceres relicta Henna venerat. 6. Sic quod ipsa dispensato quod adtulerat frumento colligendarum frugum tradiderat disciplinam, post mortem ob beneficium, quod ex frugum copia nascebatur, et sepulta in loco est pariter et consecrata et divino cum filia appellato nomine.» [Firmicus Maternus, De err. prof. rel. c. 7. ed. Halm.]

Némethy hanc narrationem tribuit Euhemero; videtur tamen nihil aliud esse quam euhemeristica — sensu vulgari haec vox accipiatur — elaboratio versuum Ovidii [1]) (Metam. V. 376—424).

Componantur cum Firmico versus Ovidiani 385—394:

Haud procul *Hennaeis* lacus est a moenibus altae,
nomine *Pergus*, aquae.
Silva coronat aquas, cingens latus omne, suisque
frondibus, ut velo, Phoebeos submovet ictus.
Frigora dant rami, varios humus humida flores;
perpetuum ver est. Quo dum Proserpina luco
ludit et aut violas, aut candida lilia carpit,
paene simul visa est dilectaque raptaque Diti.

Eadem regionum nomina Henna et Pergus occurrunt; naturae descriptio sapit Ovidium; apud utrumque Pluto rapit Proserpinam.

Hos versus ante oculos habens Firmicus Maternus, suam narrationem composuisse videtur addita nempe sua explicatione.

Sed si hoc non admittitur alii multi sunt auctores

1) Qua propter injuria uti videtur Teuffel Gesch. der Röm. Lit. [5]. 406 : «Der Verfasser zeigt genauere Kenntnis der Umgegend von Henna in Sicilien und mag daher von dort gebürtig sein oder dort seinen Aufenthalt gehabt haben.»

apud quos tales narrationes inveniuntur, citantur a Tertulliano (in Apologetico) Diodorus Graecus, Thallus, Cassius Severus, Nepos; neque ullam video causam — Némethy certe nullam allegat — cur Euhemero potius quam hisce tribuatur.

Duo alia fragmenta Firmicana Némethy *probabiliter* tribuit Euhemero.

I.

«Sed adhuc supersunt aliae superstitiones, quarum secreta pandenda sunt: Liberi et Liberae, quae omnia sacris sensibus vestris specialiter intimanda sunt, ut et in istis profanis religionibus sciatis mortes esse hominum consecratas.

Liber itaque Jovis fuit filius, regis scilicet Cretici. Hic cum fuisset adultera matre progenitus, nutriebatur apud patrem studiosius quam decebat. Uxor Jovis cui Junoni fuit nomen, novercalis animi furore commota ad necem infantis omnifariam parabat insidias. 2. Proficiscens peregre pater, quia indignationes tacitas sciebat uxoris, ne quid ab irata muliere dolo fieret, idoneis, sicut sibi videbatur, custodibus tutelam credidit filii. Tunc Juno opportunum insidiarum nancta tempus et ex hoc fortius inflammata, quia proficiscens pater et sellam regni puero tradiderat et sceptrum, custodes primum regalibus praemiis muneribusque corrupit, deinde satellites suos, qui Titanes vocabantur, in interioribus regiae locat partibus et crepundiis ac speculo adfabre facto animos ita pueriles inlexit, ut desertis regiis sedibus ad insidiarum locum puerilis animi desiderio duceretur. 3. Illic interceptus trucidatur et, ut nullum possit necis inveniri vestigium, articulatim membra concisa satellitum sibi dividit turba. Tunc, ut huic facinori aliud facinus adderetur, quia vehementer tyranni crudelitas timebatur, decocta variis generibus pueri membra consumunt, ut humani cadaveris inauditis

usque in illum diem epulis vescerentur. Cor divisum sibi soror servat, cui Minerva fuit nomen, quae et ipsa sceleris fuit particeps, et ut manifestum delationis esset indicium et ut haberet unde furentis patris mitigaret impetum. Reverso Jovi filia ordinem facinoris exponit. 4. Tunc pater funesta calamitate cladis et acerbi luctus atrocitate commotus Titanas quidem vario genere excruciatos necat nec praetermissum est in ultione filii aut tormentum aliquod aut poena, sed per omnia poenarum genera bacchatus necem qualiscumque filii vindicavit, affectu quidem patris, sed tyrannica potestate. Tunc, quia diutius pater ferre lugentis animi tormenta non poterat et quia dolor ex orbitate veniens nullis solaciis mitigabatur, imaginem eius ex gypso plastico opere perfecit et cor pueri, ex quo facinus fuerat sorore deferente detectum, in ea parte plastae conlocat, qua pectoris fuerant liniamenta formata. Post haec pro tumulo extruit templum et paedagogum pueri constituit sacerdotem: huic Silenus fuit nomen. 5. Cretenses, ut furentis tyranni saevitiam mitigarent, festos funeris dies statuunt et annuum sacrum trieterica consecratione componunt, omnia per ordinem facientes, quae puer moriens aut fecit aut passus est. Vivum laniant dentibus taurum, crudeles epulas annuis commemorationibus excitantes et per secreta silvarum clamoribus dissonis eiulantes fingunt animi furentis insaniam, ut illud facinus non per fraudem factum sed per insaniam crederetur: praefertur cista, in qua cor soror latenter absconderat, tibiarum cantu et cymbalorum tinnitu crepundia, quibus puer deceptus fuerat, mentiuntur. Sic in honorem tyranni a serviente plebe deus factus est, qui habere non potuit sepulturam.»

[Firmicus Maternus, De err. prof. rel. c. 6. ed. Halm.]

II.

6. «Fuit etiam alius Liber apud Thebas tyrannus magicae artis potestate perspicuus. Hic cum muliebres animos venenis quibusdam et carminibus occupasset, pro arbitrio suo crudelia facinora furentibus imperabat, ut mente captas nobiles feminas et libidinum ministros haberet et scelerum. Qui qualia fecerit scelera vel quantum matri contra filium vel sororibus contra fratrem imperaverit facinus, in scaenis cottidie a tragici carminis auctoribus traditur, ut scelerati tyranni facinerosa crudelitas in animis audientium funestis semper relationibus renascatur. 7. Hunc Lycurgus sobria virorum coniuratione protectus regno exuit, pellit patria: neque enim effeminatus consensum virorum potuit diutius sustinere. Effeminatum enim eum fuisse et amatorum servisse libidinibus Graecorum gymnasiis decantatur. Nec fuga eius Lycurgus tantum est exilioque contentus, sed timens, ne fugiens et ab aliis receptus ludibriosa scelerum suorum etiam in alia regione conderet semina, succinctus ferro patriae dedecus minaci persequitur edicto. Tunc Liber proiectis infulis, quas pampineis coronarum circulis inligabat, cum semiviro comitatu fugiens — soli enim eum secuti sunt stuprorum et flagitiorum ac libidinum socii — per omnes oras vicini maris cum summa trepidatione desperationis erravit. 8. Illic inter ebrias puellas et vinolentos senes, cum adhuc eum scelerum pompa praecederet, alter nigro amictu taeter, alter ostenso angue terribilis, alter cruentus ore, dum viva pecudis membra discerpit, a Lycurgo comprehensus per proximam rupem quae immensum praecipitium saxis inviis fecerat, in mare praecipitatur, ut lacerum corpus marinis diu iactatum fluctibus errantium populorum animos ad sanitatis ac sobrietatis ordinem severa animadversione revocaret.»

[Firmicus Maternus, De err. prof. rel. c. 6. ed. Halm.]

Sane difficile est de hisce judicare. Quam vero v. cl. profert, ut probet ea Euhemero esse tribuenda nimine mihi arridet ratio, «Cum harum fabularum indoles, qua deorum miracula *in flagitiosa vilissimorum hominum facta* detorquentur, prorsus Euhemerea sit, jure mihi videor has duas narrationes, ut Euhemero probabiliter tribuendas, adjecisse;» etenim e Lactantio effici posse videtur Euhemerum Jovi crimen non imputavisse. Nonne enim ambabus manibus acerrimus deorum hostis haec argumenta arripuisset? (Cfr. p. 85. 3°.)

Ad 1m fr. Firmicus quaedam Bacchica orgia ante oculos habuisse videtur.

Verba «Cretenses—sepulturam» (I. 5.) hoc probare videntur.

Utrum ipse colorem Euhemereum addiderit, an hunc jam suo fonti debeat, difficile est dictu. [1])

Praeterea, uti observat Breysig (Berl. Philol. Wochenschr. 1891. p. 424): «Wird man schwerlich eine Angabe, wie die, dass die Titanen Trabanten der Juno gewesen seien, auf Euhemerus selbst zurückführen können»

Unde recte concludit distinguendum esse inter Euhemerum ipsum et Euhemeristas posteriores.

Ad 2m Aeschylus composuerat trilogiam: Ἠδω-

1) E. Thraemer in Roscheri Lexico I. p. 1037. art. Dionysus: «Auf *Kreta* soll nach *einen* von F. M. ausgeschriebenen *Euhemeristen* den Kultbrauch bestanden haben, einen lebenden Stier im Orgiasmus zu zerfleischen; auch in die *orphischen* Mysterien deren Anschauungen Euripides (*Κρῆτες* fr. 475) ausführt sind die Rohmahle aufgenommen.»

Wissowa ib. II. 2028 art. Liber: Liber Pater steht häufig in enger Beziehung mit Magna Mater an deren Taurobolien die Priester des Liber Pater betheiligt sind.»

νούς, *Βασσαρίδας*, *Νεανίσκους* sive *Λυκούργειαν*[1]) vocatam, cujus argumentum Bacchicae res sunt.

Ad talem mythum vel potius ad parodiam (uti jam habetur apud Aristophanem Thesmoph. p. 135 sqq.) hujus mythi videtur alludere Firmicus.

Nullam causam video cur narratio Euhemero tribuatur.

Quae de Lactantio supra diximus et hic suam vim habent.

FINIS.

---

1) Dindorf Poetar. Scen. Gr. Aesch. fr. 122. Dindorf: «Apparet (ex Thesm. Schol. Rav.) nullam ab Aeschylo editam esse Lycurgi nomine inscriptam, sed *Λυκούργειαν* veteres dixisse tres illas, quas scholiasta nominat, tragoedias, quemadmodum Agamemnon, Choephoroe et Eumenides *Ὀρέστεια* appellantur.» Cfr. Hermann Opusc. vol. 5. p. 3—30.)

THESES.



THESES.

I.

Euhemerus in Sacra Historia, ficta narratione usus, Alexandri res gestas narrat, quasi sint ipsius Jovis res gestae.

II.

Ennius »Euhemerum« suum non versibus sed soluta oratione scripsit.

III.

Injuria Krahner (G. z. Gesch. d. Verf. d. Röm. Staatsrel. p. 38.) Lactantio Euhemerea Enniana proferenti, fidem denegat.

IV.

Apud poetas Latinos Panchaia pars Arabiae est.

V.

Thuc. II. 93. 1. *ἀποπειρᾶσαι τοῦ Πειραιῶς [τοῦ λιμένος τῶν Ἀθηναίων· ἦν δ' ἀφύλακτος καὶ ἄκληστος εἰκότως διὰ τὸ ἐπικρατεῖν πολὺ τῷ ναυτικῷ].*

Expunxi emblema.

VI.

Thuc. III. 11. 2. *αὐτόνομοί τε ἐλείφθημεν οὐ δι' ἄλλο τι ἢ ὅσον αὐτοῖς [ἐς] τὴν ἀρχὴν εὐπρεπείᾳ τε λόγου καὶ γνώμης μᾶλλον ἐφόδῳ ἢ ἰσχύος τὰ πράγματα ἐφαίνετο καταληπτά.*

Cum Kruegero delenda est praepositio.

VII.

Thuc. VI. 77. 2. Verba: *πρὸ δ' αὐτοῦ μᾶλλον τὸν πάσχοντα καθ' αὑτὸν δυστυχεῖν*; injuria tentata sunt a viris doctis.

VIII.

Euripides. Medea vv. 11—13:

ἁνδάνουσα μὲν
φυγῇ πολιτῶν ὧν ἀφίκετο χθόνα
αὐτή τε πάντα συμφέρουσ' Ἰάσονι.

Cum correctore codicis Vaticani v. 12 legendum est *πολίταις*, v. autem 13 cum Herwerdeno pro *αὐτή* reponendum *αὐτῷ*.

IX.

Apud S. Gregor. Nazianz. (Poem. Moral. XVI. (Migne T. XXXVII p. 852.) *Εἰς εὐγενῆ δύστροπον* v. 17. 18) legitur

Ἀλλὰ σὺ χρυσῶν μὲν πατέρων ἔ φ υ ς, ὥς σε λέγουσιν,
αὐτὸς δ' οὐκ ἀγαθός. Εἶτα μέγα φρονέεις;

Corrige: *ἀλλὰ σὺ χρυσῶν μὲν πατέρων φύς, ὥς σε λέγουσιν,*
αὐτὸς δ' οὐκ ἀγαθός, ε ἶ τ α μέγα φρονέεις;

X.

Tac. Agric. c. 11. ed. Halm. (c. 12. ed. Corn.) In deposcendis periculis eadem audacia et, ubi advenere, *[in detrectandis]* eadem formido.

Expunxi emblema.

XI.

Tac. Ann. II. 31. Cingebatur interim milite domus, strepebant etiam in vestibulo, ut audiri, ut aspici possent, cum Libo ipsis quas in novissimam voluptatem adhibuerat epulis *excruciatus* vocare percussorem, prensare servorum dextras, inserere gladium.

Lege *excitatus*.

XII.

Tac. Ann. IV. 62. Et illi quidem, quos principium stragis in mortem adflixerat, *ut tali sorte*, cruciatum effugere: miserandi magis, quos abrupta parte corporis nondum vita deseruerat; qui per diem visu, per noctem ululatibus et gemitu conjuges aut liberos *noscebant*.

Legendum est: *optabili sorte* et recipienda Hartmanni conjectura (cfr. Mnem. XXIII. p. 110.) *poscebant*.

XIII.

Verg. Aen. II. 60.
Dardanidae, qui se ignotum venientibus ultro,
[hoc ipsum ut strueret Trojamque aperiret Achivis]
obtulerat.
Expunxi versum insiticium.

XIV.

Verg. Eccl. IV. v 20 sqq. versuum ordo ita est restituendus:

20. mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
23. Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores,
21. ipsae lacte domum referent distenta capellae
22. ubera, nec magnos metuent armenta leones.
24. Occidet et . . . .

XV.

Livius XXI. 19.2: Nam si verborum disceptationis res esset, quid foedus Hasdrubalis cum Lutatii foedere *[quod mutatum est]* comparandum est.

Expunxi emblema.

XVI.

Teuffel Gesch. d. Röm. Lit. [5] 406.8: Firmicus Maternus zeigt c. 7 genauere Kenntnis der Umgegend von Henna in Sicilien und mag daher von dort gebürtig sein oder dort seinen Aufenthalt gehabt haben.

Haec ex Lib. de err. prof. rel. c. 7. effici posse nego.

XVII.

Non facio cum v. cl. van der Vliet statuenti, Loricam Leidensem (Mnem. XXVI (1898) p. 381 sqq.) esse duo carmina amatoria et puto insulsissime hic alludi ad Canticum Canticorum et ad locos quosdam e Psalmis et e Litaniis Omnium Sanctorum.

XVIII.

In prolegomenis Auctoris ad Herennium (p. 11. sq.) Marx citavit e codice Herbipolitano (Univ. Bibl. Mp misc. f. 2 fol. 76.) versum hunc:

Ex more docti mistico servamus *hengeuinium.*

Quae de corruptela disputavit inania sunt.

XIX.

Injuria Usener (Rhein. Mus. Vol LVII p. 171. (a° 1902)) putat verbis S Joannis Chrysostomi (Hom. XXVI in Epist. II ad Corinth. (t. X p. 264[a] Montf.)): *οὕτω γὰρ καὶ εἰδωλολατρεῖαι τὴν ἀρχὴν ἐκράτησαν τῶν ἀνθρώπων ὑπὲρ ἀξίαν θαυμαζομένων. οὕτως Ἀλέξανδρον τρισκαι-*

δέκατον ἐνόμισεν εἶναι θεὸν ἡ σύγκλητος Ῥωμαίων. καὶ γὰρ αὕτη ταύτην (viell. ⟨*καὶ*⟩ *ταύτην*) *εἶχε τὴν ἀξίαν, χειροτονεῖν καὶ ἐγκρίνειν θεούς*, significari Alexandrum Severum; significatur vero Alexander Magnus.

XX.

Contextus et verba Appiani B. C. III. 7: *[ὁ Ἀντώνιος] ἔπεισεν [τὸν Δολοβέλλαν] αἰτεῖν Συρίαν ἀντὶ Κασσίου καὶ τὸν ἐς Παρθυαίους κατειλεγμένον στρατόν· αἰτεῖν δὲ οὐ παρὰ τῆς βουλῆς (οὐ γὰρ ἐξῆν) ἀλλὰ παρὰ τοῦ δήμου, νόμῳ*, nos credere vetant primum quidquam de legionibus Macedonicis in lege Cornelia infuisse, deinde vero res eo loco memoratas demum mense Junio accidisse.

XXI.

Cum fides habenda sit Curtio (Hist. Alex. M. VI. 1.21) haec scribenti: «Hic fuit exitus belli quod repente ortum prius tamen finitum est, quam Dareum Alexander apud Arbelam superaret»; statuendum est pugnam ad Megalopolim commissam esse a⁰. 331.

XXII.

Expeditio Zopyrionis locum habuit a⁰ 326 vel a⁰ 325 (Cfr. Curtius X. 1.43 sqq).

XXIII.

Flamini diali, quippe qui sellam curulem haberet, jus fuerit sententiae dicendae in Senatu necesse est.

XXIV.

Etsi fere silent Annales Rodenses (ed. Pertz Mon. Germ. XVI. 688–723) de schola Rodensi tamen ex indice librorum hujus Abbatiae effici potest Rodae (Rolduc) saeculis XII et XIII scholam fuisse florentissimam.